

8693.

# ANNALIUM PROVINCIAE S. JOSEPHI

Ordinis Excalceatorum SSS. TRINITATIS  
Redemptionis captivorum,

## LIBER III.

### SYNOPSIS.

**T**ria in Hungaria Ordinis surgunt cœnobia. **O**bitus Strigoniensis Archi-Episcopi Illaviensis cœnobii nostri Fundatoris munificentissimi, cuius nonnullæ virtutes succinctè elogio recensentur. **P**rimus Lapis Fundamentalis pro nova nostra Viennensi Ecclesia Augustissimâ LEOPOLDI I. Imperatoris manu collocatur. Illaviensium cœnobitarum nostrorum rigida & exemplaris vita conservatio. **P**. Josephus ab Angelis Minister Viennensis & Commissarius Generalis abdicato munere in Hispanias remigrat. Quarta demum absolvitur Redemptio. Augustissima Domus Austria Albo confratrum nostrorum adscribi dignatur, & conventus Illavienis donatione arcis stabilitur.

### CAPUT I.

*Varii eventus anni hujus nonagesimi tertii reseruntur.*

A DIO ve-  
nient labo-  
runt præmia.



Aboribus quibusvis etiam minimis pro Divini Nomini gloria, vel animarum salute aut susceptis, aut exantatis Benignissimus DEUS pro inexhausta liberalitatis suæ largitate amplissima semper & merita nostra longissimè transcendentia premia refundere consuevit, non solum in beatitudinestate, verum etiam interdum in hac valle lacrymarum, cum non raro servis suis illud ab Increata Veritate promissum CENTUPLUM etiam in hac mortali vita conferre soleat: neque tamen propterea eis quidquam de coelesti mercede subtrahat, aut minuat. Id sanè, si unquam alias, certè hoc anno nonagesimo tertio currentis seculi (cui exenterando adhuc modicè cala-

calatum acuere libuit) perspicuis argumentis in nobis comprobatum fuit. Conflictabatur pulillus grex noster domi forisque non una cum calamitate; huic tamen adversitatum colocynthidi Clementissimus DEUS, ut quondam Eliseus Propheta, cœlestium gratiarum farinam infudit, quæ totam ejus amaritudinem in dulorem convertit, ut proinde haud inveniēt nobis verba illa applicari potuerint, quæ aureum Christianæ eloquentiae flu-men, S. Joannes Chrysostomus, in alia occasione protulit: *Misericors*, ait, *DEUS misericordia rebus quedam etiam jucunda permisit*. *Quod certè in Sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque jucunditates finit babere continuas: sed tam de adversis, tum de prosperis justorum vitam quasi admirabili varietate contexit.* *Quod hic quique eum fecisse considera.* Verfabatur eo tempore, ut retulimus, Redemptio in summo discrimine, diuturno carcere detenta: inde diversè in plebe labortæ sunt suspiciones, cùm ne-suo genuinam adeò prolixæ morte causam divinaret. Periclitabatur idcirco nostri Ordinis existimatio, variisque imperitorum hominum dicterioris traducebamur, quæ sinistra malevolorum iudicia Viennenses Religiosos nostros in magnas angustias redigebant, cùm & ipsi nullà conjecturâ asséqui valerent, ecquid P. Mauro Redemptori in mentem venerit, ut tam diu in alienis terris subsistere vellet? Vapulabamus interim quotidianè obtrectorum mordacitate, cùm a felice aut sequiore hujus Redemptoris eventu communis fama penderet. Ceterum nostrates insigni prudentiâ frivolis hominum suspicionibus obviaverant, & ignobilis vulgi murmur opprimerant adductis exemplis aliarum Redemptionum, quarum plurimæ a barbaris innumeræ sustinente remoras, ac proinde longissimo tempore opus habuerunt, ut ex infidelium vexationibus eluctarentur: quibus verbis apud prudentiores quosvis tantum proficiebant, ut multi reperirentur, qui inspirante DEO beneficia nobis ultrâ solitum accumularent.

II. Interea recentiores nostri strenuam Litteris navabant operam, quidam etiam ex tyronibus in solemnia Religionis vota jurabant, alii novæ accedebant militiae, alii eandem religiosæ vitæ ambiebant conversationem. Seniorum Patrum cura fuit, spectatæ honestatis & virtutis feligere adolescentes, eosdem pietati & Divino servitio probè adaptare, idoneos ad majorem spiritus fervorem animare, incitare tepidos, remissos ad vitæ perfectionem accendere; ut domesticis hisce industriis suo tempore ex illis viros effingerent, qui ad animatum culturam idonei alios quoque aliquando erudire, & religiosas colonias continua-fibi succendentium serie in alia & alla quoque loca ducere possent, ac stabili-re. Verbô: quibus per traditionem tutò confiderent Decus Ordinis & Instituti. In quem etiam finem alii quoque veterani Patres partim Româ, partim ex Hispania propediem adventuri expectabantur.

III. Dum similium rerum studia inter nostros maximè ferrent, Comes Franciscus Ragoczius, exteris regionibüs peragratiss,

U u

Vien-

1693.

*4. Reg. cap. 4.  
v. 41.*

*Hab. 3. in  
Maud. circa  
fam.*

*Redemptio-  
nis morte va-  
riatum suspi-  
cionum  
causa.*

*Aba domini.*

*Patakinico-  
nobium capi  
initium.*

1693. Viennam delatus est, paulò post amplissimum in Hungaria patrimonium & avita prædia aditurus. Is cum germana sorore Domina Juliana Barbara, Ferdinando Goberto Comiti Aspermontio non pridem connubio juncta, parè desiderio exarsit sacrum Ordinem nostrum, quem peculiari devotione ob Redemptionis captivorum Institutum prosequebatur, in suis possessionibus planandi, eique assignatis congruis proventibus novum cœnobium excitandi. Re itaque cum nostris Superioribus communicata, duos postulaverunt sacræ Religionis nostræ Sacerdotes. Designati sunt P. Josephus a Matre DEI Hispanus, quem anno superiore Viennenensis Cœnobii præfecturam abdicasse significavimus, & P. Adalbertus a S. Andrea Bistricensis Bohemus, hic ætate integra ante triennium ferè nostris aggregatus solidæ virtutis & maturitatis de se specimina dederat, ac Fundatori Patrono, cùm olim ipse Novæ-Domi apud Bohemos humanioribus studiis vacaret, apprimè notus condiscipulus. Trigesimâ mensis Martii, quæ fuit feria secunda post Dominicam in Albis, iter in Hungariam sunt auspicati, & emenso itinere incolumes tandem Patakinum pervenerunt, ibidemque obtento in arce diversoriò Sacellorum munia aliquamdiu obiverunt.

*Alterius in  
Hungaria co-  
nobii firma-  
tur spes.*

IV. Eodem prorsus tempore Georgius Szechenius Archi-Episcopus Strigonensis, piis fortè Religiosorum precibüs adjutus, recuperatis viribüs coepit magis convalescere, biennio ferè vieturus superstes. Is, quamprimum se a morbi molestiis liberum persentit, cum Excellentissimo Comite Sigisfrido Christophoro Breünero Cæsareæ Cameræ sive reddituum Præside confecit tractatus, quorum vigore ab eodem Illaviensia bona pro octoginta millibus florenorum Rhenensium in hypothecam, & exinde proventus in censum annum recepit ad sequens decennium, & ulterius retinenda, donec restitutio in solidum facta fuisset. Huic permutationi debetur haud ignobilis origo Illaviensis cœnobii nostri in Hungaria. Augustissimus Imperator LEOPOLDUS, cùm intellexisset Sanctum Archi-Episcopi propositum, nostri Ordinis augmento mirificè additus, ut eum in hac pia intentione magis etiam, magisque confirmaret, eidem in nostrum favorem officiosam admodum scripsit epistolam, quam veleti singulare Augustalis Patrocinii monumentum & peculiare Decus nostrum huic Historiæ attexendam putavimus, non solum, quod gratitudo id a nobis efflagitet, sed etiam, quod talis Monarchæ intercessionem pro Ordine nostro interpositam summo nobis honori ducamus, præsertim quod hæc epistola pii Fundatoris, tot aliunde meritis de Christiana Republica clarissimi, voluntatem in continuandis charitatis operibus prolixè commendet. Ea autem familiaribüs verbis exarata ita sonat:

*Cœfus episcopale.*

*Charæ Archi-Episcope. Non minori satisfactione mea, quam commendatione virtutis vestre intelligo, videoque non cum annis senescere, imo magis indies majus incrementum in vobis capere*

*charæ*

1693.

charitatis officia in sublevandis egenis , ecclesiis restaurandis , monasteriis etiam adificandis , dotandisque ingenti Apostolici Hungariae Regni beneficio præsertim intenta . Confirmatur id mihi imprimis laudabili vestra intentione monasterii Patribus Ordinis Excalceatorum Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione captivorum , qui paucis ab hinc annis ex Hispania in hanc ditionem Austria-cam adventantes sub Patrocinio & Protectione mea collocati sunt , fundandi , quæcum DEO gratissimam , & sub jugo Turcico gementibus Christianis saluberrimam fundationem , ut non possum non approbare , ita nullus planè dubito , quin eam ad predicatorum Patrum non aliud præter charitatem Christianam præferentium votum proximè fitis executioni mandaturi . Quod mihi sane futurum est acceptissimum . Excitat Me ad id officii Cæsarei genus cura singularis , quæ saluti animarum , captivorumque Christianorum prospectum ardentissimè cupio , & ipsum desiderium Patres hosce in Hungariae Regno receptos , stabilitosque videndi , eoque minus ambiго , id apud vos optatum locum inventurum , habiturumque , dum in reliquo Gratia Mæ Cæsareo-Regia vobis imprimis addictus maneo . Vienna 24. Julii 1693.

Hoc Magni Cæsaris scriptum singulariter nobilitat hujus Fundationis primordia . Elucet præterea sole meridiano clarius ex hac LEOPOLDI epistola Imperatoris tenerimus erga sacrum Ordinem nostrum affectus , cuius propagationi tanto studio & industria incubuit . Hujus autem epistole Archi - Episcopus Szechenius Fundator noster diserte meminit in suo Diplomate , quod inferius exhibebimus , ubi sic loquitur : Benigne & singulariter suadente id ipsum nobis Sacratissima Majestate . Quæ occasione hujus Cæsareæ Epistolæ præmittenda putavimus , ut posteà magis clarescat , quid Archi - Episcopus his verbis innuere voluerit .

Cæsaris erga  
N. Ordinem  
affectus.

Epistole hu-  
jus meminit  
Archī-Epis.

V. Alia quoque per otium hōc anno ad pietatis cultum agebantur , inter quæ fuit illud præsertim : cùm Sanctissimæ TRINITATIS Confraternitas majori quotidiè numerō accresceret , Libellus pro instructione confratrum Latino sermone , ut tanto commodius in alias linguas transferri possit ( quod & reapse deinde contigit ) typis evulgatus a P. Josepho ab Angelis Excellentissimo Comiti Philippo Christophoro Breünero nuncupatus fuit . Recepit is hoc piuum obsequium affectu luculento , quem ut magis conspicuum testaretur , vestibus subinde suis candidum pallium bicolore Ordinis nostri cruce insignitum superinduxit , quō ille amictu Equestris Trinitarii Ordinis , pridem exoleti & famam duntaxat cogniti , socium se ostendere videbatur .

Libellus  
Confraterni-  
tatis impri-  
mitur , & dedi-  
catur Comiti  
Breünero .

Is utitur al-  
bō palliō cum  
Cruce Ordini-  
nis .

**1693.** VI. Inter anni hujus memorabilia , superius quoque leviter attactum Excelsæ Pietatis Monumentum , pariter nobis recensendum venit, sponiti epidemic morbi , qui anno 1679. urbem depopulatus fuerat , ex Cæsareo voto Anathema : Obeliscus videlicet Sanctissimæ TRINITATI in foro herbario decimo sexto Kalendas Junii dedicatus. Surrexit is eodem quasi tempore cum nostro Sanctissimæ TRINITATIS Viennensi cœnobio tanquam Ordinis nostri in Germania antesignanus , & prodromus Gloriæ. Cujus structura , sicut ornamentum insigne urbi attulit , ita a multis pro omnine nostræ Religionis Trinitariæ in Cœfareis Ditionibus feliciter propagandæ accepta fuit. Hæc autem moles Paro constructa marmore sex & sexaginta pedes geometricos altitudine æquat triquetram figuram præseferens. Hanc si inferius intuearis , videbis juxta basim Fidem sub schemate insignis Matronæ crucem manu gestantis , ad cujus pedes subjectam hæresim genius quidam flammigerâ tubâ ad ima prosternit , aquila faciem ejus involante , ut suò rostrô oculos illi evellat. Ubi verò lumina altius erexeris , in conspectum tuum veniet statua alabastrina Augustissimum LEOPOLDUM Imperatorem graphice referens , laureo sertô more Cæsarum Romanorum præcinctum , ense & cataphractâ armatum , per cujus humeros regium paludamentum magnificè defluit. Pectus ornat Aurei Velleris Insigne. Hæc imago curvatis poplitibûs lapideo pulvinari inficit , ad cujus alterum latus genius quidam pileatam Austriae coronam manibûs sustentat , in altero autem pulvinari haud procul a genibus Imperatoris regale sceptrum visitur. Omnia ista in ipsa Colossi hujus basi conspicuntur. Super hanc deinde consurgit pyramis æquè triangularis , nubibus utplurimum obiecta , quam novem Chori Angelorum naturali justi hominis statutâ hinc & inde ambiunt, ad usque ferè medium. Superius circumvolitant in nubibus multi cœlestes genii , diversis ministeriis intenti. Apicem coronat Sanctissima TRINITAS e solido fusa metallo & liquato aurô obducta. Hic DEUS PATER Orbem terraqueum manu protegit ; cui a dextris assidens DEUS FILIUS crucem protendit Redemptionis nostræ signum ; DEUS SPIRITUS SANCTUS verò in columbae specie deauratis radiis circumfusus utrique supervolitat. Porro in parte infima ubi hæc moles terram attingit , duo exurgunt gradus , speciosique cancelli ex eodem marmore sculpti , & æquâ distantia coni ferreis catenis innxi , totam columnæ fabricam ambitiosè circumeunt. Et non humana improbitas tam insigni operi damnum vel irreverentiam inferre queat , miles custodiendo huic Colosso deputatus est , qui perpetuis excubiis omnes ab hoc loco injurias arceret. Exornant hanc etiam molem Symbola , Insignia & Inscriptiones ; harum unam , quæ ipsius Augustissimi Cæsaris ingenio concepta & exarata fuit, tanquam Austriae pietatis monumentum hic subiectere placuit. Ecce illam : *Tibi Regi Seculorum Immortali Uniti in essentia & Trino in Personis , DEO infinitè Bona , Aeterno &*

*Immenso, cuius Dexteræ omnia sunt possibilia, cuius Sapientiae nibil est absconditum, cuius Providentia in sua dispositione non falilitur, cuius Majestate impletur universum, cuius Misericordia super omnia opera. Tibi, inquam, Sanctissime TRINITATI ego Leopoldus humilis servus tuus gratias ago, quas possum maximas pro aversa anno M.DC.LXXIX. per summam Benignitatem Tuam ab hac Urbe & Austria Provincia dira pestis lue, atque in perpetuam gratitudinis tesseram praesens Monumentum demississime consecro. Suscipe Clementissime DEUS Servi tui demisse Te adorantis vota, & me, Conjugem, Liberos, Domumque meam, populos, exercitus meos, regna & provincias continua Misericordiae Tuae Protectione Guberna, Custodi, Defende. Ita V. anno Domini saluatoris nostri Iesu Christi.*

VII. Cæterum Romæ ad ejusdem Augustissimi LEOPOLDI I. Romanorum Imperatoris instantes preces hōc eōdem anno per Principem Liechtensteinum Oratorem delatas in Sacra Rituum Congregatione Relatore Eminentissimo Cardinali de Judice ferventius actum fuit, ut ex Pontificio Indulto Officia & Missæ Sanctorum Patriarcharum Nostrorum JOANNIS & FELICIS per Universalem Ecclesiam de Præcepto, ut vocant, imposterūm celebrarentur, cuius rei superiorius jam mentionem fecimus. Huic nostræ prætensioni maximum robur conciliavit illa sententia Bonifacii VIII. hujus Nominis Pontificis Decretali in c. unic. de Reliquiis & veneratione Sanctorum in 6. Ubi Pontifex jubet Apostolorum, Evangelistarum & Ecclesiæ Doctorum Festum celebrari, quod, nimis, Gloriosus DEUS illos (ut dignis digna rependat) potioribus attollit insigniis dignitatum, & præriorum uberiori retrubitione prosequitur, quos digniores agnoscit, & commendat ingentior excellentia meritorum. Sic & Alma Mater Ecclesia &c. Demonstratum itaque fuit, generalem hanc rationem a pari Sanctis nostris Fundatoribus bene congruere. Quibus cum sese Reverendissimus Promotor fidei pro suo munere opposuisset, Procuratores hujus causæ ejus argumenta diluerunt adducta praxi Sedis Apostolicæ, cuius Auctoritas omnem scrupulum eximit; de cunctis enim aliis Sanctis sacrorum Ordinum Fundatoribus officia de Præcepto recitantur, ut proinde ad servandam laudabilem Ecclesiæ unitatem tali honore carere non debeant SS. JOANNES de MATHA & FELIX de VALOIS, qui sanctissimam Religionem animabus & corporibus CHRISTI Fidelium summe proficuam, & captivorum Redemptioni devotam instituerunt. Contra quam Ecclesiæ praxim & excellentiam meritorum in his duobus Sanctis Patriarchis Reverendissimus Promotor Fidei nihil habuit, quod objicere potuisset. Consummatum vero hujus negotii effectum anno sequenti videbimus.

Ad Cœfars  
preces officia  
de Sanctis Pa-  
triarchis no-  
stris, ut in to-  
ta Ecclesia de  
Præcepto ce-  
lebrantur,  
procatastat.

Rationes &  
motiva.  
Sext. Decretal.  
lib. tit. 22.  
cap. unicum.

**1693.**  
M. P. Genera-  
lis se munere  
abdicas  
S. Laurentius Justinianus : Et  
de cast. con-  
nub. cap. 20.  
*Psalm. 83. v. 6.*

VIII. Ostendimus superius nostrum P. Raphaëlem a S. Joanne invitō animō admisissē supremam Ordinis Praefecturam. Et enim, ut rectē docet S. Laurentius Justinianus : *Humilis omne altitudinem abhorret, dignitates fugit, latere appetit, apparere refugit, dejici concupiscit.* Procedente tempore bonus Senecio humeros sibi immodicē hoc onere gravari persenserat, ideōque *affectiones suas disposuit in valle lacrymarum*, continua gemitibus & calidis deprecationibus eosque insitens, donec tandem pro sua reverentia exauditus, & impetratō Generalis Definitorii nostri consensu ab ingrata honoris sarcina sublevatus fuisset, quā certē illius venerabili ætati & canitiei nihil optatius accidere potuit. Substitutus est eidem in munere Noster P. Joannes a S. Antonio, quem vegetior ætas, & fortè non impar doctrina, pietas & merita, præfertim in nuperna Ordinis in Poloniam introductione comparata, commendabilem reddidere; Ordinis interea Vicarius Generalis ad sequentia usque Patrum comitia futurus.

Romā nostris  
accedit P. Jose-  
phus a SS.  
Sacramento.

Confessorius  
Card. Aguirre.

Affert SS.  
Mariyam  
Alliquia.

XI. Demum in Autumno hujus anni nonagesimi tertii ad novam hanc messem nostram in operariorum subsidium Romā Viennam delatus est P. Josephus a Sanctissimo Sacramento, qui cū Romæ plurimis annis moram ficeret Eminentissimo Cardinali Josepho Saenz de Aguirre ex Ordine S. Benedicti viro Doctissimo & multis editis voluminibus commendato aliquandiu a sacris confessionibus fuit. Ne autem piissimus ille vir incomitatus ab urbe veniret, sacra Sanctorum Martyrum Lipsana secum ad Ecclesiae nostrae Viennensis ornatum attulit; partem videlicet cruris S. Placidi Martyris, & S. Fortunatæ similiter Martyris e cœmterio S. Calipodii eruta & vindicata, atque recognita Viennæ ab Illustrissimo D. Joanne Baptista Mayr Vicario Generali & Officiali 10. mensis Decembris. Quibus ritè per seriem memorie posteriorum commendatis a prolixioribus aliquantò hujus anni commentariis submovemur.

**1694.**

## C A P U T II.

### *Initium Patakiensis Fundationis in Hungaria.*

Quocunq[ue]  
bona gratia-  
dinis causa  
fusa referen-  
ta.

L **K** Alendis Januariis anni millesimi sexcentesimi nonagesimi quarti fausta dies Ordini nostro videbatur illuxisse, quamvis hæc fors non admodum diurna fuerit, nec pari successu fructu que finis initio responderit. Dandum est scilicet temporum injuriis, quæ lœtissimas spes in ipso quasi flore corruperunt, & eventum suo principio adeo dissimilem parturiere. Neque nos decet ea præterire silentio, quæ optima voluntate copta, finistro autem postea novercantis fortunæ casu convulsa fuerunt. Ipsa sane gratitudo postulat, ut memorie posterorum litteris sollicitè commendemus, quæ alli pro Ordinis nostri augmento laudabiliter decreverunt, licet ea emergentibus sinistris casibus prohibiti opere complere nequiverint. In præsenti vero, cum felic-

feliciora tempora jam pridem vulneri cicatricem obduxerint, potissimum tamen, ut beneficiis quibuscumque receptis, licet jam antiquatis aliquam pro modulo nostro rationem habere contemur, sequentia omnium pace commemoranda veniunt.

1694.

II. Comes Franciscus Ragoczius & Juliana Barbara soror ejus, quemadmodum superiore capite præmisimus, pia & laudabili intentione ducti, ut Apostolico, & sacrâ locis quondam florissimo Hungariæ Regno, nunc autem per seditiones, bella, & hæreses multum attrito consulerent, ejusque ruinas aliquando resarcirent, e singulari devotionis affectu, quô in sanctissimæ TRI-UNIUS DEITATIS Mysterium & in Ordinem nostrum hoc gloriösò agnomento insignitum, eidemque conjunctum Redemptionis Institutum ferebantur, in Saros Patak civitate & arce ad fluvium Bodrogum piscibûs abundantem Diœcesis Agriensis & Comitatus Zemplinensis die prima Januarii orientis anni millesimi sexcentesimi nonagesimi quarti P. Josepho a Matre Dei (qui negotii hujus transigendi potestatem accepérat) scripturam in pergameno patenti folio, sigillis e zonis pendentibûs, & subscriptionibûs munitam, tradiderunt, cuius vigore in eadem civitate cœnobium Ordinis nostri condunt & instituunt. In congruam Religiosorum sustentationem super prædia sua Patak, Borjási, Tokai, & Regecs sex & viginti florenorum Rhenensium millia assignata, quotannis ad ultimam mensis Martii ex iisdem prædis mille trecenti floreni per modum censûs exfolvendi constituantur. Quæ obligatio, quamvis tunc non plures quam duo religiosi adessent, in proximo hujus anni mense Martio erat sumptura principium, ac deinceps in perpetuum duratura.

Summa C*onstitutio*

Census annui.

III. Assignatus præterea fuit locus pro cœnobio & Ecclesia construendis, domus nimirūm lapidea a defuncta quondam Principe Susanna Lorantffī ædificata pro familia filii sui Domini Sigismundi Ragoczii, dum Principem Electoralem, Dominam Henrietam Palatinam Rheni, connubiali sibi foedere junxit. Porro structura Ecclesiæ, ac cœnobii ex communibus Fratris & Sororis possessionibus æquali sumptu erat perficienda. Domum illam sub idem tempus incolebat Cæsareus annonæ Præfectus. Ne autem cœnobium situs angustiis laboraret, adjunctæ fuerunt aliæ duæ vicinæ ædes cum platea, quæ vetus quoddam & semidirutum palatium a dicta domo lapidea dividebat. Similiter in rerum domesticarum usum & subsidium concedebatur alodium iure perpetuo possidendum, assignatis præterea quinquaginta origyis lignorum in singulos annos recipiendis. Ad hæc universa sine defœtu præstanta per easdem Litteras se, hæredes suos, successores & Legatarios, ut vocant, in perpetuum obligatos esse voluerunt, & defacto se obligarunt; atque ut hæc conventione tantò majus robur obtineret, firmiusque confiseret, decreto fuit, ut hujus Fundationis Litteræ regia auctoritate confirmarentur, literatique nostris Patribus, si quis superiori expressa tempore quoquinque imposterum præstare recusaret, mediante quodam ordinario regni Judice integrum satisfactionem

Ecclesiæ &  
Cœnobii fo  
deris.

Aliodium.

Littera.

Obligatio.

Confirmatio.

Actionis  
facultas.

1694. postulare, tam quoad summam principalem, quam etiam ad intermissum, neglectumque censum, interdicta præscriptionis lege, ac quacunque contradictione sublata.

*Jus patronatus.*

IV. His providè prædictis, cautisque, parili utrinque consensu sancitum fuit, ut Comes Franciscus Ragoczius & Juliana Barbara soror ejus, hujusque maritus Ferdinandus Gobertus Comes Aspermontius in prædicto Monasterio jure Patronatûs gauderent, ita tamen, ut prædictus Franciscus Ragoczius, ejusque Successores primi & præcipui Patroni censerentur, Domina vero Juliana Barbara, ejusque Successores perpetui quidem hujus cœnobii Patroni dicerentur, non tamen primarii; Comes autem Ferdinandus Gobertus in sua tantum persona, non item hæres des ejus, aut successores, nisi ex Domina Juliana Barbara stirpis progeniem ducerent, Patroni titulum obtinerent.

*Insignia.*

*Odeum singularare.*

*Præsum & bonorum omnium operum participation.*

*Sacrificia.*

*Exequias.*

V. Conclusum tamen fuit, ut omnia harum familiarum Insignia in Ecclesiae porticu & principis aræ facello affigerentur, neque alteri cuiquam iis in locis insignia apponere licet. Etingerentur quoque ipsis in Presbyterio ad latus Evangelii sedilia, aliisque præminentissimis, cæremoniis & privilegiis tanquam veri Ecclesiae Patroni perfruerentur. Odeum quoque singulare in superiore Ecclesiae loco eis addictum fuit, ubi Divinis officiis interesse possent, hac tamen conditione adjecta, ut ab Odeo Religiosorum disjunctum esset, neque his ullus ingressus ad Patronorum Odeum concederetur. Insuper, ut sepultura pro Patronis esset infra majus Sacellum, neque quisquam alias absque eorum licentia ibidem sepeliri posset, facultate nihilominus Patribus relicta, minora Sacella unâ cum sepulturis, quibuscumque vellent idoneis personis in Jus Patronatûs tradendi, & in Ecclesia, sacrario, claustro ac cryptoporticu loca pro fidelium sepulchris destinandi & commodandi. Statutum pariter fuit, ut Patroni & Successores eorum tanquam genuini Ordinis fratres omnium orationum, bonorum operum & spiritualium exercitorum, quæ tam in communi, quam in particulari a Religiosis prædicti cœnobii peragentur, participes evadant.

VI. Item omnibus diebus Dominicis solemne, seu, ut vocant, conventuale Sacrum pro iisdem Patronis, eorumque Successoribus vivis & defunctis applicetur. Ubi vero innotuerit, quandam ex Patronis, vel eorum Successoribus ex hac vita decessisse, illo tantum, quod decepsit anno, triduanæ exequiae, cantato præviæ ex officio defunctorum uno Nocturno, cum solemnissimæ sacrificio celebrentur. Solitis temporibus pro iisdem æra campana sonent, & solempne toties in Ecclesia ad erectum cenotaphium Responsorium decantetur, illoque triduo singuli Sacerdotes prædicti cœnobii pro defuncti requie sua DEO sacrificia offerre teneantur. Sumptus autem ad ceram comparandam, & cenotaphium erigendum a Patronis suppeditentur, eisque libera dispositio remaneat suis expensis funebrem pompam augendi. Cæterum assignabitur stata quotannis dies ab ipsis Fundatoribus eligenda, in qua pro omnibus Patronis defunctis

so-

solemnes & anniversariæ in perpetuum celebrentur. Exequiæ, in quibus unus Nocturnus, solemne Sacrificium & Absolutio decantetur: tali æquè die omnes rursus Sacerdotes hujus cœnobii pro corundem animabus sacram hostiam ad aras DEO offerent.

1694.

VII. Ultimò demùm hic fundatus Conventus frui & gaudere poterit omnibūs & singulis privilegiis, exceptionibūs tam de jure communi, quam particulari. Insuper valeat possidere bona propria immobilia sive emptione, sive donatione, vel aliò quovis justò titulò acquisita: si verò illa bona decimis, aliisque tributis, aut vestigalibus fuerint obnoxia, conventus quoque ad eadem præstanda maneat obligatus. Si verò immunitatē & talibus oneribus habuerint, cum iisdem libertatibus & exemptionibus Bonis illis uti, frui & potiri valeant absque ulla contradictione.

Privilégia  
hujus cœnobii.

VIII. Hæc ultrò citrōque inter partes fideliter conventa, pæsta & ratificata fuere in septemdecim articulis, ac propriis subscripta nominibūs, & sigillis munita eodem die & anno, ut superius expressimus. Rectè, benéque omnia & legitimè firmis semper ac deinceps valitatis litteris fuere bellè constituta. Verum enim verò, ut pietatis operibus plerūque infestæ sunt temporum injuriæ, hæc præclara molima, quorum absque animi mortore meminisse non possumus, peste, & pestis iue nocentio te bello post annos non multos exolevère, morte sublati ibidem religiosis omnibūs. Illa igitur in ipso quasi ortu suo emaruerunt, lugubrēaque duntaxat pulcherrime spei memoriam aliquamdiu nobis reliquam fecerunt. Vacuus demum locus cessit Patribus e Polonia evocatis, his quoque revocatis pristina successit solitudo. Tandem paucis abhinc annis, ut in fine libri decimi memorabitur, idem locus sine succo & sanguine vix umbra sui in Residentiam sex vel septem Religiosorum transiit. Nunc etiam die 12. Martii anni 1737. in communī civitatis conflagratione haud levia incendii damna persensit; quid ex rebus afflictis inde boni posteris sit accessurum, soli DEO notum est.

Interit fundatio ob temporum injurias.

Resuscitatur.

Incendium  
recent.

### C A P U T III.

#### *Cœnobium Illaviense Archi-Episcopali Diploma te fundatur.*

I. Eliciore, ut ajunt, sidere sequens hujus anni mensis, Februarius, nobis illuxit: siquidem D. Georgius Szechenius Archi-Episcopus Strigonensis & Primas Regni Hungariæ memor pollicitationis nobis factæ fidem suam magnificè solvit. Augustissimi LEOPOLDI Cæsaris exhortatione inductus, & alioquin erga Ordinem nostrum optimè animatus, statuit denique residuis bonis ac fortunis suis in Hungaria aliud cœnobium fundare. Neque segnijs egit, ac cogitaverat; etenim confectis donationis tabulis aditam nobis ad insigne monasterium ædificandum aperuit. Cum verò hoc Diploma rationes prolixè

Illaviense cœnobium meliore successus fundatur.

1694. adducat, quibus Archi-Episcopus ad hoc propositum suscipiens dum inductus fuerat, nequaquam extra oleas vagabimur, si illud huic loco inferuerimus, quod ita sonat:

**NOS GEORGIUS SZECHENT MISERATIONE DIVINA**

**Ecclesiae Metropolitanæ Strigonensis Archi-Episcopus, Locique ac Comitatus ejusdem supremus ac perpetuus Comes, Primas Regni Hungarie, Legatus Natus, Summus Secretarius, & Cancellarius, Sacrae Casareae Majestatis Confiliarius intimus, &c. Memo- ria commendamus tenore presentium significantes, quibus expedit, univerfis. Quod posteaquam sepius cum lacrymis considerassemus, quam luctuosa sit & acerba conditio miserorum Christianorum, qui in diram funestamque immanissimum Christiani Nominis hostium gentilium captivitatem illabuntur; unde fit, ut propter longissimam itineris distantiam, ac pressum, & durante hoc potissimum longiori belli tempore Regnorum ac Ditionum Sacrae Majestatis Sacratissime statum, extremamque inter homines vigentem paupertatem vix centesimus eorundem liberationem congruam asequatur, immo inter tetros carcerum squalores plurimi ipsorum fame patire, & a vermibus miserabiliter consumantur, vel verò in desperationem acti gentiles fieri cogantur; nec mirari potest, quod milites tam pauci ad bellum conscribantur; siquidem acerbè memoratorum miserorum captivorum exemplò, dubiâ alioquin alea pre-existente deterrentur; ut igitur hoc in passu toti Reipublicæ Christiane opportunè consulatur, & provideatur, prærepetitique miserrimi captivi ( quorum multi ex abductis per Turcas & Tartaros sub obfida Viennensi plus quam centum mille animabus adhuc non liberati gemunt ) pridem desideratam consolationem accipient, Reverendos Patres & Fratres Ordinis Sanctissime TRINITATIS de Redemptione captivorum in Apostolicum hoc Hungarie Regnum ( ubi nunquam hactenus fuerunt ) benignè & singulariter suadente id ipsum Nobis Sacratissima Majestate introducimus, & in Bonis Illavienibus in comitatu Trenchinensi existentibus, ac anno proxime praterito ab Excellentissimo Domino Comite Sigisfrido Christophoro Breunner pro summa octuaginta milium florinorum Rhenensium per Nos comparatis paternè instituimus, & fundamus. Ita tamen, ut iidem juxta laudabile ipsorum Institutum ratam tertiam partem omnium proventuum ex antelatis Bonis Illavienibus qualitercumque obvenientium in Redemptionem præprimis quidem captivorum Christianorum ex Ditionibus ad sacram Regni Hungriae Coronam spectantibus natorum, & originem trahentium,**

Fundationis  
Diploma.

Rationes &  
enixa Funda-  
tionis.

Numerus ca-  
ptivorum ab  
obfida  
Viennensi.  
Olim non  
fuisse Ordinem  
nostrum in  
Hungaria af-  
fectorum.

Fundationis  
summa.

Hungari redi-  
mimus.

demum iis non reperibilius in aliorum quorumcunque eliberationem convertere teneantur: In quo Admodum Reverendi Patris moderni Generalis, ac omnium Successorum ipsius, pariter & Priorum\* & Sub-priorum in antelato Monasterio Illaviensi pro tempore futurorum conscientias oneramus. Quod si autem successivis temporibus propter revolutiones bellicas ( quod DEUS clementissime avertere dignetur ) aut alias legitimas & prægnantes rationes predicti Reverendi Patres & Fratres Ordinis Sanctissime TRINITATIS de Redemptione captivorum stabilem in prefato Dominio Illaviensi permanzionem habere nequirent, ex tunc presentem Fundationem nostram liceat ipsis ad locum tutiorem intra gremium hujus Regni transportare, ubi vero nec ibi permancio & salus patarent, liberum erit in alia quoque regna & provincias transferre. Ita nihilominus, ut pace affulgente, & aditu aperto existente domum in Hungariam redire, & cursum presentis Fundationis modo præmissò prosequi obligentur. Si vero evolutò decennio dictus Excellentissimus Dominus Comes Breuner aut Heredes & Posteritates ejusdem depositâ simul & semel antelatâ octuaginta millium florinorum summâ, & effectuatâ juxta contractum effectuandis universis, Bona hac Illaviensia redimeret, ex tunc hujusmodi capitalem summam, & aliorum aque utilium, ac in Regno Hungarie situatorum Bonorum coëmptionem convertere, aut ad secundum interesse dotare; denique redditum illius non in alios usus, quam presenti Fundationi Nostræ conformes usus modalitate supra specificata impendere obligentur. Præterea statuimus, ut Insignia Nostra ex marmore exsculpta Monasterio predicatorum Patrum & Fratrum super portam appendantur, & in sacris Missæ sacrificiis ac orationibus, non solum ab iisdem, verum & per ipsos redimendos captivos Christianos frequens animæ nostræ memoria habeatur. Humillimè itaque Suis Sacratissimis Majestatibus moderno nimirum & Futuris Hungariae Regibus, & Augustissimis eorundem Heredibus supplicamus, ut hanc piam Fundationem nostram erga Benignam Recommendationem potissimum institutam clementer acceptando, & confirmando ulterius quoque gratiōsè fovere & conservare dignentur. In cujus fidem & firmitatem perpetuam praesentes Litteras Nostras Privilegiales & Foundationales propria Manus Nostræ subscriptione, & pendentis Authentici Sigilli munimine corroboratas toties memoratis Reverendis Patribus & Fratribus Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum extradendas

1694.

Inveniatur  
conscientia  
Superiorum.\* Ministrî  
vocantur no-  
stri superiors,  
quod batimus  
ignoscum erat  
Archib. Episco-  
po, non Pri-  
ori.Transferri po-  
test fundatio-  
nem ad alia loca  
propter cau-  
sus.Tota summa  
deponi debet.Emi possunt  
alia bona vel  
locari ad cen-  
sum.Insignia Fun-  
datoriæ ex  
marmore su-  
pra januam  
cenobi affi-  
gantur.Præces Reli-  
gioforum &  
captivorum  
expetuantur.Ad Reges  
Hungariae  
commendati  
tanquam Pro-  
tectores hujus  
Fundationis.

1694. duximus & concedendas. Datum Posonii in Curia Nostra Archi-Episcopali die vigesima mensis Februarii, Anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo quartò. Archi-Episcopatus verò nostri anno nono.

GEORGIUS SZECHENY  
Archi-Episcopus Strigoniensis.

Aurea Bulla  
aureis subinde  
scripta litteris.

Ad testamentum  
verba  
codicilli.

II. Hactenus Aurea Bulla Fundationis nostri coenobii Illavienensis, quam idcirco Auream appellare placuit, quia in principio, & subinde per decursum aureis litteris scripta fuit. Ceterum hoc Diploma non nisi post piam mortem Divi Archi-Episcopi Fundatoris nostri, sequenti nimirum anno, effectum obtinuit. Illud verò, magnum ad stabiliendam hanc Foundationem momentum attulit, quod Archi-Episcopus in supremis vii diebus ad confecti testamenti sui codicillum, ut uberioris mentem suam, ultimamque voluntatem declararet, haec verba signatè addiderit: *Illavienia Bona lego Patribus Santissima TRINITATIS de redimendis captiuis.*

## C A P U T IV.

*Vienensis Ecclesiæ nostræ ichnographia designatur;  
pro fabrica conquiruntur facultates. Duo ex nostris  
Fratribus studiorum causâ in Hispanias mittuntur.*

Tempi maioris fabrica  
designatur.

Sumptus  
conquiruntur.

Spes in Reginam Vi-  
duam Hispa-  
niae.

I. Inter haec tam auspicata rerum initia, non modica Vienensis coenobii parte jam absoluta, & in commodam habitationem redacta, altius sece nostræ cogitationes erigebant, magnoque molimine gravidæ stabilem quandam augusti templi structuram parturiebant: ne autem res inter steriles duntaxat deliberationes subsisteret, operi manus propius admotæ, & in fundo illo, a Cæsare nobis non pridem donato, ad tectonicæ artis regulas lineæ ductæ fuerunt. Fixis proinde tensisque funiculis dimenso situ, & in latiore charta accuratè delineato, longitudo quidem congrua prodivit, latitudo tamen ædificii symetriæ nequaquam respondit. Sed cum vicina platea latitudine sua magnum structuræ additamentum offerret, loci angustia exiguum nobis solitudinem faciebat, quod spes esset non dubia, uricum Magistratum pro sua benignitate aliquam nobis terræ portionem pro dilatanda Ecclesiæ fabrica cessurum, quia id absque ullo publici transitus detimento facile fieri poterat.

II. Major itaque premebat cura de parandis sumptibus, qui tenuitatem facultatum nostrarum nimium superabant, non tamen spem & in DEUM fiduciam tot experimentis hactenus comprobatam. Occurrebat menti alias inter manus adjutrices Serenissima Regina Domina MARIA ANNA de AUSTRIA Vidua, pietatis operibus unicè dedita, Mater CAROLI II. Regis Catholici &

& Soror Augustissimi LEOPOLDI I. Cæsaris, quæ fervente affectu Ordinis nostri incrementis studebat, ejusque propagacionem in Austriam efflstim desideraverat. Hanc etiam in Hispanias usque accedere consilium fuit Excellentissimæ Matris nostræ Comitis Harrachiæ, quæ ejus obsequijs cæteras inter nobiles virgines quondam deputata spem largæ eleemosynæ consequendæ nobis fecerat. Tam opportuna ærarii augendi ratio minimè negligenda videbatur. Delectus proinde fuit P. Maurus a Conceptione Captivorum Redemptor, ut in Hispanias proficiscetur, Regiæque Viduæ Clementiam & liberalitatem ad nostram inopiam sublevandam imploraret. Nec tergiversatus est ille, sed tanto promptius hoc iter longinquum suscepit, quanto de optimæ Reginæ pietate erat sectior, & de ejus benignitate certior. Abiturientem Augustissimus Imperator LEOPOLDUS, ut nullam occasionem nobis favendi prætermitteret, sequenti ad Serenissimum CAROLUM II. Regem Catholicum scriptâ epistolâ comitari gratosissimè dignatus est.

*Compertum quidem est mihi, quò loco apud Majestatem Vestram sint Patres Trinitarii ob singularem in Christianos ( quorum redemptioni ex durissima Barbarorum servitute ex Instituto presertim student ) charitatem, ità ut de munificentia, propensioneque in illos Regia, nullum mibi superfit dubium, eâ tamen non obstante comitandum, hinc, obnoxieque commendandum duxi Patrem Maurum a Conceptione ad implorandam, experiendamque Pietatem Regiam in subsidium Ecclesiæ Conventusque ante portas Regiae hujus Meæ exstenuendi ( cui proximo vere principium dare intendunt optimi Patres ) a Superioribus in Hispanias expeditum, ut imprimis Majestati Vestre constet de Mea etiam singulari propensione, gratiaque in sacrum hunc Ordinem ; & si quid porro commendationis apud Majestatem Vestram ultra propriam in eos Benignitatem egerent, mea suppleant officia, que dum hinc majore, quâ possum, efficacia interpono Majestati Vestre ad paria affectus Fraterni studia me offerens, integerrimam constantemque valetudinem cum prosperrimis eventibus ex animo precor. Vienne 20. Martii 1694.*

Lætior exinde P. Maurus, cùm suum propositum Cæsareis litteris suffultum videret, in viam se dedit : gaudebat etiam opportunitatem nunc sibi oblatam fuisse patriam revisendi, & Majoribus Ordinis statum Religionis nostræ in Germania coram exponendi, eorumque simul consilia, de iis, quæ proximè peragenda instabant, exquirendi.

III. Commodissima hæc videbatur occasio, quâ duo ex junioribus Religiosis nostris studiorum causâ in Hispaniam deduci

Cæsare Epis-  
tolæ ad Re-  
gem Hispaniar.

Duo religiosi  
studiorum  
causâ mittendi  
in Hispaniam  
seligantur.

1694.

possent; quemadmodum proximō ab hinc anno similiter alii duo ex Polonia eadem de causa profecti in Complutensi nostro Collegio studiis litterarum jam vacabant. Deleati sunt igitur Fr. Conradus a Sanctissima Trinitate Austriacus Viennensis, & Fr. Eustachius a S. Josepho Italus Modiensis, qui sub idem tempore Viennae Philosophicis disciplinis operam dabant, & non uno ingenii specimine singularem ad capessendas litteras aptitudinem praeferebant. Hi adjuncti fuerunt P. Mauro, ut in ejus Societate Hispaniam adirent, re tamen prius, ut par erat, Nostro Patri Joanni a S. Antonio intimata, qui sub idem tempore ob spontaneam Antecessoris renunciationem Vices Majoris & Generalis Ministri obibat. Huic Decreto Viennensem Patrum pondus addidit Excellentissima Domina Comes Mater nostra Harrachia, quæ datis ad eundem Nostrum Patrem Litteris idipsum, tanquam rem Ordini nostro summè proficiam, prolixè suscit, suaque Auctoritate, cui omnes Ordinis nostri Patres plurimum deferebant, facile persuasit. Quanta vero hujus Dominæ universim in nostra sacra Religione fuerit existimatio, clarissime elucescit ex epistola responsoria Nostri P. Joannis a S. Antonio, quæ ex Castellano idiomate in Latinum translata sonat:

N. P. Vice-Generalis responsio.

*Excellentia Vestra tanquam Ministra Generalis totius Trinitarii Ordinis disponere, ac mandare potest cum universis filiis suis & subditis pro suo arbitrio, & mecum quidem imprimis, qui profiteor, & glorior, esse me filium primogenitum; primus enim eram, qui ea in Regia Urbe ingentibus ejus olim perfruebar favoribus, quos placeat continuata serie Religiosis nostris ulterius exhibere. Hi vertuntur in linguas, quin satis eos queant referre, aut suam gratitudinem satis declarare. De omnibus Excellentie Vestre infinitas rependo gratias. Ceterum cum Sue Excellentie placeat, ut P. Maurus cum duobus illis Angelis Germanis veniat in Hispanias, volupe mihi fuerit, ut Excellentie Sue protinus obtemperetur. Veniant igitur cum Bono DEO, & benè veniant fratres illi Clerici. Primitia magnorum fructuum, quos Ordo Sanctissimæ TRINITATIS, ut equidem spero, in Augusto, Maximoque illo Imperio proferet. Opto autem, ut Divina Majestas Excellentiam Vestram tantam Dominam & Matrem nostram in multos conservet annos, pro cuius incolumente DEUM orare nunquam desinam, Madriti 3. Martii 1694. Quamprimum hæc epistola Vienam delata fuit, P. Maurus cum supra memoratis Sociis Fratribus die 20. mensis Martii iter in Hispaniam feliciter est auspicatus.*

ca-

## C A P U T V.

1694.

*URBIS & ORBIS Decretō Missæ & Officia SS.*

*PP. NN. JOANNIS & FELICIS de  
præcepto recitanda ad universam Ecclesiam  
extenduntur aliisque memorabilia  
recensentur:*

**L**ongis controversiis disceptata causa, quæ de Officiis Sanctorum Patriarcharum nostrorum ad Universam Ecclesiam extendendis sub ancipiūtū judicio diu pependerat, feliciter tandem eventu coronata fuit; etenim Sacra Rituum Congregatio mature, ut solet, libratis rationum momentis, iisdemque tam in Martio, quam Majo, hujus anni mensibūs, sibi discussis, Decretoriam tandem sententiam in nostrum favorem protulit. Plurimum ad hoc contulit ratio quædam inter postremas quidem proposita, sed efficaciā suā nulli inferior: exponebatur nimis Curiæ Romanæ, officia SS. Patriarcharum nostrorum JOANNIS & FELICIS in toto ferè orbe Catholico sub Ritu duplicitis minoris ad libitum celebrari, inusitatō sanè exemplō, cùm omnia alia officia ad libitum sub Ritu semiduplici celebrari soleant. Quamobrem ut exoticum hoc & nulli alteri Sancto concessum privilegium celerrime tolleretur, restituereturque Ecclesiastica uniformitas, decretum fuit, ut Officia Sanctorum Patriarcharum nostrorum juxta morem, quō aliorum Sanctorum Fundatorum festivitates celebrari consueverunt ad Ritu Duplicitis Minoris per universam Ecclesiam sublimarentur. Sacra itaque Rituum Congregatio piis Cæsareæ Majestatis precibūs de Officiis SS. Patriarcharum nostrorum JOANNIS de MATHA & FELICIS de VALOIS Sacri Nostri Ordinis Fundatorum ad Universalem Ecclesiam Catholicam per totum Orbem diffusam extendendis, quatenus in posterū ab omnibus tam Sæcularibus, quam Regularibus utriusque sexū personis Ecclesiasticis, quæ ad Horas Canonicas persolvendas obstringuntur, sub Ritu Duplicitis Minoris de Præcepto recitarentur, annuendum censuit. Quod, ut amplius, firmiusque constet, juvat ipsius Decreti verba in medium producere.

Ratio urgens  
ut officium &  
Missæ SS.NN.  
Fundatorum  
de Præcepto  
decernantur

## URBIS ET ORBIS.

*Ad pias Majestatis Cæsareæ preces per Excellentissimum Principem de Liechtenstein Ordinarium apud S. Sedem ejusdem Oratorem SS. D. Nostro porrectas, Sacra Rituum Congregationi remissas, & ad perquam humillimas P. Fratris Petri a JESU*

Decretum  
Sacrae Rituum  
Congregationis.

1694. *Procuratoris Generalis Ordinis Discalceatorum Sanctissime Trinitatis Redemptionis captivorum Instantias ab Eminentissimo & Reverendissimo D. Cardinali Judice relatas benignè eadem Sacra Congregatio posse concedi censuit, ut Officium Sanctorum Joannis de Matha & Felicis de Valois, dicti Ordinis SS. Trinitatis Fundatorum, haec tenus in toto ferè Orbe Catholico sub Ritu Duplici minori ad librum ex pluribus concessionibus Apostolicis recitatum, in posterum singulis annis sub eodem Duplici minori in diebus eorum Festorum ab omnibus tam Secularibus, quam Regularibus utriusque sexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, in Ecclesia Universali de Precepto recitetur; si Sanctissimo Domino Nostro placuerit. Diebus XXVII. Martii, & XV. Maii 1694.*

*Facta igitur deinde Sanctissimo Domino Nostro per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, die XIX. ejusdem mensis Maii, 1694.*

A. Card. Cybo

Loco + Sigill.

B. Inghirami. Sac. Rit. Congr. Secret.

Gratia singularis interventu Cæsariorum Ordini obtemperata.

II. Erat hoc sanè pulcherrimum Beneficium, quò Sanctorum Patriarcharum Nostrorum in terris cultus, & accidentalis in cœlo gloria augebatur, sacróque Ordini nostro grande decus & ornamentum afferebatur, per quatuor sæcula, & quod exceedit, aut neglectum, aut desideratum; demum ad instantes processus Augustissimi Nostri LEOPOLDI I. Cæsaroris, ac favore Sanctissimi INNOCENTII XII. Pontificis Maximi hòc anno tantò plausibilius impetratum, quanto difficilius similes gratiæ temporis processu a Sacra Sede Apostolica sperantur, aut evincuntur, præsertim circa ea, quæ universalem Ecclesiam concernunt; ideoque prolixius commendandum, quòd sub ipso ferè ingressu Ordinis nostri in Austria, & quasi in ipso limine propagationis nostræ decus hoc progerminaverit, quòd velut prodromò aliorum favorum portendebantur gratiæ, quæ nobis ex Austriacorum Principum Benevolentia erant deinceps crebrius obventur, quemadmodum non finè gratiæ mentis significatione, & tenera quadam animi voluptate sèpius a nobis memorabitur, studiosè in suis locis exponet, quantum universim tota exalceata Familia nostra Augustissimorum Cæsarum patrociniis debet.

Regulae & Constitutiones Ordinis imprimitur.

III. Præterea quia Sacrarum Legum observatio unicum est stabilimentum Ordinis, ne verò ex codicu paucitate excusationem obtendere possit ignorantia, aut palliare desidiam, Ordinis Regulæ & Constitutiones Viennæ hòc eodem anno formis typicis excuse fuerunt, additis in calce Bullatis Litteris INNOCENTII Papæ XII. & Declarationibüs, quæs, ut supra retulimus, Ordini nostro in Provinciis transalpinis facultas conceditur, descendentes ab heterodoxis parentibus ad solemnem votorum

Pro-

professionem admittendi. Hæc editio ut chartæ bonitate & typorum pulchritudine cæteris elegantior in lucem prodiverat; sic expedita magis in Poloniā primò, ac etiam in Italiā & Hispaniā se diffudit: Nostris autem vel maximè congruebat initiis & primis fundamentis, quibus perquam solerter superstrueretur Ordinis & propagationis ejusdem firmitas, nam ut recte monet Cicero: *Nihil tam aptum est ad Jus, conditionemque naturæ, quam lex, sine qua nec domus, nec civitas, nec gens, nec hominum genus, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus stare potest.*

1694.

Cicero lib. 3.  
de Legibus.

IV. Pariformiter cùm non satis popolorum devotioni, atque desiderio consultum esse videretur, Libellum pro Sodalium directione anno superiore Latino idiomate vulgasse, nisi pro plurimum commodo in vernaculum sermonem verteretur: quam obrem, ut is ipse codex Legum, Privilegiorum, atque Indulgientiarum, quibūs Archi - Fraternitas Ordinis nostri Sanctissimæ TRINITATIS a plurimis Summis Pontificibus concessis gaudet, nunc etiam patriā linguā legeretur ab universis, hōc eodem anno Viennensis cœnobii sumptibus prodivit. Qui ut clarius niteret, Excellentissimorum Comitum Harrachiorum Nomen pro munimine, & Insignia Nobilissimæ Gentis pro scuto tulit.

P. Mauri in  
Hispania ne-  
gotatio.

V. P. Maurus, quem in Hispaniam profectum fuisse paulò ante dixeramus, iter cum duobus sociis suis feliciter absolvit. Postquam autem Madritum pervenissent, duo illi juniores Religiosi studiorum causâ ad Solanense Collégium concederunt, ut Philosophicis disciplinis ingenium excolet; P. Maurus vero in Aula Regia substitit, ut negotium, cuius gratia advenerat, suā industria ad optatum finem perduceret. Accessit itaque imprimis D. MARIAM ANNAM de AUSTRIA Reginam Matrem Viduam, cui Litteras Dominæ Comitis Harrachiæ olim & nunc perseverantis clientulæ suæ submississima veneratione obtulit; uberesque fructus a nova hac Ordinis colonia productos, tripliquesque in Turcia & Tartaria peractas Redemptiones prolixè exposuit. Hæc cùm piissima Regina faventissimis auribus exciperet, & alioquin propensissimō animo Ordinis nostri incrementis studeret ad futuram Ecclesiæ nostræ Viennensis fabricam regiæ liberalitati paria contribuit subsidia. Cujus munificentiâ celeriter Viennam perscriptâ, quum huic nonnullæ pasim a diversis submissæ eleemosynæ accederent, atque adeò domesticæ facultates succrescerent, protinus conducti sunt operarii, qui ante hyemem pro jaciendis novæ Ecclesiæ fundamentis humum eruerent, & designatum sequentis anni laborem, opusque hoc veluti progymnasmate anticiparent. Secunda igitur die Novembri horâ post meridiem tertią ligonibüs & bipalii humus erui coepit; convenientibus etiam, & ad laboris societatem, Magistri sui permisso, alacriter ad voluntibüs Novitiis, fratribüs omnibus, & plerisque aliis cœnobitis, qui conductis operariis permixti ingenti fervore novi templi structure

Imperat a  
Serenissima  
Regina Vidua  
subsidia pro  
adficanda  
Ecclesia Vie-  
nense.Pro funda-  
mentis hu-  
mus effodi-  
tur.

Aaa

auspi-

1694. auspicatum dedere principium. Idem deinde labor continuatus fuit, quamdiu per mitiora tempora licuit.

Festum S. P.  
N. FELICIS  
prima vice per  
omnes Ecclesias  
de prece-  
cepto cele-  
bratur.

VI. Porro cùm Anniversaria solemnitas S. P. N. FELICIS VALESII ad vigesimam Novembribus propriùs instaret, omnibus Ecclesiis & Monasteriis tam intra, quām extra urbem constitutatis mature intimatum fuit Sedis Apostolicæ Decretum, quō mandabatur, ut Festum hujus Sancti, sicut & primi Fundatoris nostri S. JOANNIS de MATHA deinceps de Precepto, ut ajunt, celebraretur. Quod sanè nostri peculiari affectu praefliterunt exteriorib⁹ etiam publicæ lētitiae signis, artificiosis himirūm ignib⁹ præcedente nocte succensis, aliisque hilaritatis demonstrationib⁹ editis. Demum IV. Nonas Decembris in S. Damasi Papæ & Confessoris die P. Maurus a Concepcione duob⁹ rursus sociis Sacerdotib⁹ auctus, quos in novam Ordinis messem secum ex Hispania adduxerat, salvus & in columis Viennam attigit, omnésque Religiosos nostros Vienne impendiò exhilaravit. Peracta sunt postmodum CHRISTI Nascentis Festa magnō nostrorum solatiō, nec sine fausta spe futuorum successuum; atque inter hasce alternantis fortune vicissitudines præsentis anni quarti & nonagesimi periodum feliciter conclusimus.

P. Maurus  
cum duob⁹  
Sacerdotibus  
Viennam re-  
dux.

## C A P U T VI.

### *Obitus D. Georgii Szechenii Archi-Episcopi Strigoniensis, Nostrī Illaviciensis cœnobii Fundatoris, & succincta ejus vitæ narratio.*

1695.

Postrema  
agritudo &  
obitus Archi-  
Episcopi.

I. Succedit annus post DEI Filium in carne de Virgine natum millesimus sexcentesimus nonagesimus quintus, rerum fœcundus, eventu varius & memorabilis. Mensē Februariō ingravescens potius ætatis inclinatione, quām vi morbi ad extrema lento gradu processit mortalis vita D. Georgii Szechenii Archi-Episcopi Strigoniensis, Fundatoris nostri cœnobii Illaviciensis, donec tandem XII. Kalendas Martii inexorabili necessitatī succubuit, anima tam insignis Præfusilis ad capeſſendum cœleſtis gloriæ bravium evolante, ut ingentium meritorum suorum præmiū a Divina manu (ut piè credimus) reciperet. Aptissima fese quidem hic nobis offerret occasio de singularibus tanti Virtutibus longam texendi panegyrim, sed quia labor iste magis volumen desiderat, nos eorum morem secuti, qui uno in circulo paucisque ductis lineis totum orbem terrarum describunt, de multis pauca duntaxat delibabimus.

Eius orus &  
Natalis.

II. Natus est hic Pater Patriæ, Munificentæ Prodigium, Virtutis omnis compendium, Magnorum Præfusilum Idea, & seculi nostri Decus Győngyöcsini, superioris Hungariæ oppidō non ignobili, Comitatus Hevesiensis, annō CHRISTI millesimo sexcentesimo sextō, annis ferè novem postquam Discalceata Trinitaria nostra Familia suæ institutionis a CLEMENTE VIII.

Sumo



D. GEORGUS SZECHENI Strigoni: Archi-  
Episcopus, Primas Regni Hungarie &c. Coenobii Illiri-  
ensis Ord. Exc. SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Mu-  
nific. Fundator. Pe' in Domino obiit Posonii. a. 1695. die 18. Febr.  
Hic vultus venerandus erat Szechenius olim;  
Sed Mens, et Mantis est pulchrior ante Deum.

Summo Pontifice approbationem consecuta fuisset, Venerabili p. Nostro Joanni a Conceptione Ordinis Restauratori septem circiter annis coætaneus. Parentes habuit, si fortunæ bona speßentur, parum divites, ut ea tunc tempora ferebant, affiduis Turcarum excursionibüs & depopulationibüs calamitosa. Juvenis, quantum conjicere licet, in patrio gymnaſio (quod sub idem tempus per totam Hungariam ferè unicum celebrabatur) humanioribus Litteris operam dedit; illud extra controversiam est, eum, cùm ad sacram Clericalem militiam Superum instinctu aspiraret, Vienne Pazmanniano Hungarorum Collegio primos inter alumnos vivente adhuc Fundatore, Cardinali Petro Pazmanno e Societate IESU Archi-Episcopo Strigonienfi, adscriptum fuisse die XVI. mensis Februarii, anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto. Hoc autem Collegium ingressus est anno etatis suæ decimò nonò, idque post absolutam Rhetoricam, ut ipsemet propriæ manus scripturâ testatum reliquit, quam vide in ejusdem Collegii Albo sive Matricula, ut ajunt; e qua etiam plura sequentia decerpsti: Eodem anno die nonà Maji solitum juramentum (pro more Alumnorum) coram Patribus Henrico Lamormainio Viennensis Collegii Rectore, & Christophoro Majero Collegii Pazmanniani Præfecto depositum. Philosophie emensus curriculum Sacro-Sanctæ Theologiæ incubuit. Annò ejusdem saeculi vigesimo nonò XIV. mensis Aprilis Subdiaconatus, & IX. Julii Diaconatus Ordines suscepit. Annò verò sequenti XX. Decembris Presbyter ordinatus est. Tandem annò saeculi hujus primò & trigesimo die XXIV. Augusti ad Petrum Pazmannum Cardinalem Archi-Episcopum missus Domestici Sacellani manus apud eum obivit. Dicuntur extare litteræ, quibus a P. Joanne Hmyrrha Pazmanniani Collegii Præfecto Eminentissimo Cardinali Pazmanno his ferè verbis commendatus fuit: Georgium Szechenium in Collegio doctrinæ & virtutibüs ita profecisse, ut dignus censeatur, qui aliquando in Archi-Episcopatu ipsi Cardinali succedat. Quod etiam reapse evenit, ut paucis post sumus visuri.

1695.

Studia in pa-  
tria.

&amp; Vienna.

Matricula  
Collegii Pas-  
mannianum  
pag. 9. &c.

Ordines sacri.

Szecsenium  
Arch-Episco-  
pi agit.  
Vaticinium  
de illo.Præpositus  
Vag-Uihellen-  
sis.Quinque-Ec-  
clesiensis Epi-  
scopus & Vi-  
carius Gene-  
ralis Exerci-  
tus.Vesprimiens-  
is & Jauri-  
nenfis Epi-  
scopus.Coloczenfis  
Arch-Episco-  
pus.

III. Elapsis deinde in minoribus Ecclesiasticis muneribus aliquot annis Ecclesiæ Vag-Uiheliensis Præpositorus renunciatus, ejusdem loci Parochiam fervente studio & flagrante animarum zelô laudabiliter administravit, meritus, ut annò CHRISTI millesimo sexcentesimo quadragesimò quartò Quinque-Ecclesiensi Mitrà ornaretur; sub idem tempus Cæsarei Exercitūs in Hungaria constitutus est in spiritualibus Vicarius Generalis. Labente novennio, annò videlicet ejusdem saeculi tertio & quinquagesimo, ad Vesprimiensis Ecclesiæ Cathedram electus, decennium in ea exegit; annò verò sequenti, tertio & sexagesimo, Jaurinenfis Antistes creatus est. Fama deinde virtutum ejus quotidie magis increbrescente annò septuagesimo octavō ad Archi-Episcopatum Coloczensem sublimatur. Verum hæc nondum erat ultima meta ejus meritis præstituta; supremis siquidem virtutibus suprema Regni Tiara debebatur, unde & annò millesimo sexcentesimo

A a a 2

octo-

1695.  
Archi-Epi-  
Scopus Strigo-  
nensis.

Eius elegia,

octogesimō quintō XXI. die mensis Maji plures inter competitores a LEOPOLDO I. Imperatore Rege Apostolico Archi-Episcopus Strigonensis, Loci ac Comitatū ejusdem Supremus & Perpetuus Comes, Primas Regni Hungariæ, Legatus Natus, Summus Secretarius & Cancellarius ejusdem Regni renunciatus fuit. Felix Clerus & Populus, qui tantum meruere Præfulem & animalium Pastorem! Omnibus ipse honoribus superior ea gessit, fecitque, quæ omnem humanam eloquentiam superant; non solum Dispensator fidelis, verum etiam ad auctoramentum glorie Restaurator industrius, Disciplinæ Ecclesiastice Vindex, sanctæque nostræ Fidei Propugnator, haeresum Osor, veræ Religionis, intaminataeque Doctrinæ Cultor, nec non Virtutum omnium Implantator. In eo certè Ambrosium quandam, aut Chrysoftomum, vel alium veterum Sanctorum Patrum aliquem revixisse arbitrarere parem spiritu, & temporum eorum calamitatibus etiam superiorem.

**IV.** Qui eum Archi-Mystam ad aras, aut domi, forisque Pastorem intuiti sunt, se antiquæ pietatis exemplar vidisse etiam num fatentur. Ubiunque demum agebat, individui eidem adhæsere comites vitae Puritas, & Castimonia, Justitia, Charitas, Misericordia, Pietasque; item in discernendis rebus Sapientia, in perficiendis Dexteritas, Fides erga Principem, Amor in subditos, Commiseratio erga affictos, Liberalitas adversus inopes, Divini Numinis cultus, & in pristinum statum reducendæ Religionis studium. Castimoniam, quæ virtus nobile ac singulare Sacrorum Præfulum Decus est, per omnem vitam ita semper excoluit, ut cum altero sexu nullò unquam familiaritatis nævō, aut minima suspicione laboraverit; quinimò eodem candore, qua veritate de se aliquando dicentem audivere: *Magnus bec nunquam tetigit feminam.* Memorabile profectò castissimi Præfulis de se ipso testimonium, aureis litteris in cedrina tabula scribendum. Hinc siebat, ut tenerimè erga illos afficeretur, quos e Clero noverat esse sui similes, quosque pudor & verecundia ab illa tetra venere contagionis scabie fecerat remotissimos; hos ille impensiùs colebat, cum illis familiariùs conversabatur, his nobiliora Sacerdotia conferebat, eosque pro virtibus suis provehere & exaltare studebat.

Frugalitas &  
Parsimonia.

**V.** Castimoniam vitae blandō consortiō comitabatur frugalitas, quæ tam in vietu, quam vestitu, cæteroque Præfulis famulatio insigniter relucebat; juratissimus siquidem osor erat luxus, a quo interneceñō odiō dissidebat, dicere solitus: auream mediocritatem & parsimoniam omni pompe, mundanōque fastu esse præferendam. Lautiora convivia subinde quidem in gloriam Magnorum Hospitum adornabat, sibi vero ipsi bellaria nulla, aut cupedias indulgebat, sed levi oleris obsoniō famem sedebat. Cibus illius ita erat comparatus, ut vires reficeret, corpus non gravaret, inde ei vitae longævitas obtigit, & mens ad altiora quævis Ecclesiæ, ac Reipublicæ negotia, tum aggredienda, tum confienda expedita. In corporis cultu ut luxum vita-

vitabat, ita aversabatur fôrdes; illum duntaxat corporis ornatum probans, qui non dedeceret Virum Ecclesiasticum, & Summi DEI in terris Ministrum. Famulos nutriebat non multos, sed bonos, longò usu cognitos, & exploratæ fidelitatis, ratus ostentationem esse noxiæ prodigalitati affinem, & mundanum, nescio quid, nimium sapere, nec convenire perfectiori Præsum lumen statui, quem ad CHRISTI normam & Ecclesiæ Canones exactissimè, Forma gregis factus, exprimere satagebat. Non defuere, qui eidem persuadere nitebantur, ut pro splendore ditionis Mitræ, lautoris quoque vitæ genus sectaretur: verum ille caute quavis Marpesia firmior nullis unquam adduci potuit rationibus, ut ab indictæ sibi justæ moderationis lege vel unguem deflesteret, veritus, ne minus in alios beneficus foret, si rigidus sibi esse desineret.

VI. Procul tamen ab ejus parsimonia absuerunt fôrdes omnes servilis avaritiæ; non enim aurô replere studuit loculos, quos anxius custodiret, sed quos avidius dispensaret in Patriæ ac Reipublicæ commodum, pristinæque felicitatis restorationem tot bellis & scètis labefactatæ. De ipso optimo proinde jure elogium illud prædicari poterat, quod Marcus Tullius, qui in arce stetit Romanæ eloquentiæ, de Rabirio Posthumo protulit, quando dixit: *In studio rei amplificandæ non avaritiæ prædam, sed instrumentum bonitati quæsivit.* Huic nimirùm fini ancillabantur amplissimi proventus & œconomicæ industriæ, ut benefaceret, aliósque ditaret, non vero ipse ditesceret. Majori solicitudine quæsivit, qualiter expenderet, quam acquireret opes: sementes spargebat aureas, ut Regno succresceret **aurea prosperitas**; in commune bonum sic fuit intentus, ut sui etiam immemor esset. Hoc tel tantur tot opera publica ejus munificentia aut excitata, aut restitutâ: & ut ea singillatim recenseam a Sacris ordiri libet: Monasteria diversorum Ordinum condidit septem, octo autem alia utriusque sexûs restauravit, & proventibus auxit. Insuper Societati JESU, quam in salutem animarum natam esse probè noverat, Budæ in ipsa Regni Metropoli, præterea Strigonii, Jaurini, Ginsii, & Quinque-Ecclesiis nova exstruxit Collegia, largissimis redditibus ditata. Agriensem domum in Collegium evexit. Ad juventutis institutionem, unde salus Reipublicæ plurimùm dependet, fundavit Budæ scientiarum Universitatem, cui adjunxit duo Seminaria, contubernales nempe domos, alteram pro Clericis, alteram pro studiolis sacerdularibus. His accessere alia ad eundem finem ædificia Jaurini, Leutschoviæ & Trenchinii ipsius sumptibus excitata, & dotata. Templa plura restauravit, sacrâque supellestili ornavit. Hospitalis domos pro vulneratis militibus Pesthini, ubi nunc amplissima invalidorum Domus surrexit; & Posonii condidit, quæ postrema cessit Ordini militari Crucigerorum cum rubea stella, easque amplissimis proventibus dotavit. Cantoribus, Ecclesiastumque Ministris auxit stipendia, aliasque quam plurimas memorias in diversis Templis fundavit; quæ omnia peculiariter in folio descripta ad

Ejus liberalitatis opera.

Cicer. Orat.  
pro Rabirio  
Pœb.

**1695.** manus habeo ; minutim autem recensere longum nimis & ope-  
rosum foret. Satis sit pro ejus munificentia declaranda dixi-  
se , ipsum vicies & quinques centena millia florenorum Rhe-  
nensium in hujusmodi opera pia & publica expendisse. Quan-  
ta verò ex tam profusa liberalitate in Christianam Rempublicam  
utilitas emanaverit, facile subductò calculò intelligere poterit, qui  
singula ad rationis bilancem appendere voluerit. Quarè cum ea  
Purpuratis Romæ Patribus innotuissent, res adeò insolita univer-  
sos in admirationem rapuit , ut unanimi voce Szechenium Stri-  
gonensem Archi-Episcopum *Munificentie Prodigium* prædicave-  
rint : de quo illud salva veritate dici potuisset, quod olim assen-  
tatoriò calamò Poëta Claudianus de alio scripsit :

*Claudianus de  
Probini & Oly-  
prii frarum  
Confusione. 9.  
43.*

*Hic non divitias nigrantibus abdidit umbris,  
Nec tenebris damnavit opes : sed largior imbre  
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.*

*Fundator no-  
stri Illavien-  
sis monasterii.*

*Jacobonus in  
Hymno de  
mundi vani-  
tate,*

*Precibüs Pa-  
trum ejus vi-  
ta prorogatur.*

**VII.** Porrò nefas crederem, & inexcusabilis piaculi locò duce-  
rem, si ignavò silentiò hic præterirem, quod huic narrationi occasio-  
nem dedit, Monasterium videlicet Illaviense Sacro nostro Ordini  
ab eodem Archi-Episcopo supremis jam vitæ annis munificentis  
simè fundatum : altius namque, canà experientiâ edoctus, in ani-  
mum demiserat Prudentissimus Archi-Præsul ærumnas & calami-  
ties innumeræ, corporis & animæ pericula , cum quibus misé-  
ri captivi sub Turcico servitutis jugo gementes conflicantur.  
Quamobrem ut nullum hominum genus ejus Beneficentiam effu-  
geret , & ut nulla esset inopia , aut necessitas , cui ipse oppor-  
tunè non succurreret , & provideret secundùm familiare suum  
dictum , quod à piissimo illo Fratre Jacobono mutuaverat , & ei  
penè in proverbium abiverat : *Fac bonum omnibus , quamdiu pa-  
teris ,* hinc Religiosos nostros , qui redimendorum captivorum  
profidentur Institutum , cùm eos suo munere laudabiliter fungi  
didicisset , benevolentissimè complexus est , nihilque non egit,  
quamvis depontana jam senectute gravaretur , ut eos amplissi-  
ma Fundatione in Apostolico Hungariæ Regno stabiliret. Sed  
quia timebat , ne præpropera mors optimo huic proposito in-  
tercederet , & senilis corporis vires ante opus consummatum pe-  
nitùs fatiscerent , nostros Patres idipsum metuentes etiam atque  
etiam rogavit , vellent suis precibüs ab Omnipotente DEO vi-  
tæ prorogationem in paucos menses sibi impetrare. Enim verò Pa-  
trum orationes , & præcipuè captivorum gemitus , quorum id  
maximè intererat , pondus habuisse , vel inde claruit , quòd Di-  
vina Majestas tam utilem , omnibúsque proficiam vitam hujus  
servi sui per annum , & quod excedit , conservaverit , donec  
hoc propositi sui negotium transegisset. Arbitror autem Cle-  
mentissimum Numen Archi-Episcopi liberalitatem hâc gratiâ etiam  
in hoc mundo remunerari voluisse , priusquam ei æternam in  
caelo pro tot rebus præclarè gestis mercedem rependeret. In-  
teriorum nulla obliterabit vetustas , nulla delebit oblivio , & intimis  
sem-

semper infixa medullis hærebunt illa memorabilia verba, quæ literis Illaviensis Fundationis superius allatis inferuit, in quibus ingenuè fatetur, se non sine lacrymis sèpius considerasse, quam luctuosa (ut ipsiusmet verbis utar) & acerba sit miserorum captivorum conditio, qui in diram funestamque immanissimorum Cbrisiani Nominis hostium captivitatem labuntur. Subiecto deinde longò miseriарum catalogo adjecit verba omnibus Christianis Principibus consideranda, quod nimirum: *Eorum captivorum plurimi inter tetros carcerum squallores fame percant, & a vermis miserabiliter consumantur, vel vero in desperationem acti gentiles fieri cogantur.* Nee mirari potest (animadvertisit ipse) quod milites tam pauci ad bellum conscribantur, siquidem acerbè miserorum captivorum exempli, dubia sortis alia præexistente, deterrentur. Quare, ut toti Christianæ Reipublicæ opportunè consulatur, & illi pridem desideratam accipient consolationem, Reverendos, inquit, Patres & Fratres Ordinis Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum in Apostolicum Hungariæ Regnum benignè & singulariter suadente id ipsum Sacratissima Majestate, induxit, eoque in Bonis Illavienibus paternè instituit & fundavit. Nec dubium est, si prius hoc saluberrimum institutum ad ejus notitiam pervenisset, aut ipse aliquot annos in hac mortali vita superstes mansisset, illum plura nobis in Regno Hungariæ cœnobia fundaturum, Ordinémque latius propagaturum fuisse, ut afflictis Christianis captivis copiosiora pararet redēptionis subsidia, e quibus ad corporis animaque salutem tot Reipublicæ commoda scaturire noverat.

VIII. Satagebat demum Præstantissimus Archi-Præful, quod non minus frequenter in ore habebat, quam opere demonstrabat, ut nimirum provideret bona coram DEO & hominibus. Idque liberè, candidè & confidenter. Ratus suarum esse partium invigilare Religionis, Regis & Regni commodis. His ille studiis curas omnes suas, consilia, auxiliaque dicavit: de universis optimè meritus, sive Sacrorum Præses, sive Reipublicæ Administer, sive Populorum Rector, in quolibet horum undequaque Magnus; quidquid enim dixit, fecitque, Magnum erat & Princeps dignum. Hunc LEOPOLDUS I. Cæsar ob gestorum Magnitudinem omni Jure Magnus Imperator, accuratiusque Virorum ac Virtutum Arbiter, & Censor, honoris gratiâ PATREM compellavit, sequi que FILIUM dixit, quô amoris & fidei monumento, nescio, si quid illustrius excogitari queat. Rarò aut nunquam solet esse in cæteris sine invidia virtus; hæc tamen in eo rara felicitate ita eminuit, ut nec hiscere, nec mutire contra eam auderet quisquam adversariorum, quantumvis ille potens esset, & viribus tumidus. Lucem Soli noctuæ non minus invidit, quam fugiunt. Scilicet Justitia & inculpata vitæ integritas contra quoslibet novercantis fortunæ insultus triumphant. Ipse porrò juratissimus vitiorum hostis inimicos Fidei & Crucis CHRISTI Auctoritate sua & Nominis dignitate ita percellebat, ut eos arenâ

Verba me-  
morabiliaBonī publici  
studioſiſſimus  
Princeps.Imperator se  
ipius Filium  
dixit; ipsum  
Patrem com-  
pellavit.Fidei hostes  
persequitur.

1695. decedere, & palmam relinquere coegerit. Hos ille insectari nunquam desit, eosque nullibi locorum consistere passus est, sed vires omnes ingenii sui eò contulit, ut latebras illorum detegret, robur elideret, restitantes Regno exterminaret, ac profligaret, contempto etiam quovis propriæ vitæ discrimine; nihil enim publicæ tranquillitati æquè infestum asserebat, ac haeresim. Decantatam conscientiæ libertatem nihil aliud esse, quam effrenatam licentiam vitæ, morum corruptelam, ex qua innumera scaturirent dissidia, animorum aversiones, tumultates & civium seditiones, tantorum hucusq[ue] in Hungaria malorum cause ac iliades.

*Eius facta  
dictaque affl-  
mantur.*

*Regem coro-  
navit.*

IX. *MORIBUS ANTIQUIS* (ut *RES EST ROMANA*) inhærens, quidquid vel publicè, vel privatim dicebat, rationum pondere, & verborum efficaciâ stabilivit, cordibusque audentium impressit adeò, ut effata ejus Oraculi locò haberentur: nihil tamen ex abrupto, sed bene prius apud semet ipsum æqua lance trutinatum dixit, fecitque; hinc eadem dicens, agendique libertas, quo candore imbutum erat pedus; in omnibus Regina Prudentia sensum moderante. Id quidem in pluribus occasionibus eluxit, præcipue tamen in forte felicitate, quæ ipsi suo tempore obtigit, coronandi Serenissimum JOSEPHUM Regem Apostolicum hujus Nominis Primum. Hæc felicitas sicut non omnibus Archi-Præsulibus in manus venit, ita singularis fuit nostri Szechenii honor & gloriæ auctoratum; ille siquidem die IX. mensis Decembris anno Domini 1687. adstantibus duodecim Episcopis, quatuordecim Abbatibus & Prelatis, ac reliquo ornatissimo Clero, præsentibus quoque cunctis Regni Statibus & Ordinibus Novi Regis verticem inter Missarum Solemnia Posonii Sacro Diademate redimivit, coronationisque cæremoniis perfunditus pro recepto more ad nobilissimum suum Auditorium luculentam habuit orationem, quæ hactenus extat apud Lunig *Parte 3. Orat. 206. pag. 30.*

*In extremo  
morte codi-  
cillium testa-  
mento addit,  
& subscribit.*

*Afghanis in  
Dagestani*

X. Octennio ab hac Coronationis solemnitate elapsò mortalis vita cursum absolvit Magnus Archi-Episcopus ad cœlestis tendens bravium, & ætate confectus, propè nonagenarius, immortalitati natus est, sedato pridem sensuum tumultu, abiisse ad meliorem, ut piè credimus, vitam ingentibus meritis cumulatus. Illustrius in suo occasu resplenduit; si tamen illa occumbere dici potest, qui oritur æternitati. Supremus languor in labiente sensim corpore nec fuit gravis, nec diuturnus, ut solet illi ex Ausonii mente evenire, qui abeunt, non abeunt, & migrantes transferuntur in Patriam. Urgente autem morbò supremo simul & fatiscente senili corpore curas suas omnes eò convertit, ut inchoatum de sublevanda Christianorum captivorum calamitate negotium inconcussis basibus stabiliret: unde ut ultimæ voluntati suæ firmius robur adjiceret, languente licet dextera, vires tamen suppeditante charitate pro Testamento coroniæ hæc verba exaravit: *Illavienia bona lego Patribus Sandissimis Trinitatis de redimendis captivis.*

XI. Exactis demum conscientiae rationibus feso totum in Divinam voluntatem resignans Sacrum accepit Viaticum, in supremam quoque luctam sacrô unctus oleo Posoni die XVIII. Februarii anno saeculi hujus nonagesimo quinto decessit in pace, ingenti apud omnes desiderio sui relicto. Juftis persolutis in Collegiata Sancti Martini Episcopi civitatis ejusdem Ecclesia Patribus appositus universalem expectat resurrectionem. Elapsis deinde paucis diebus solemnis exequiarum apparatu iterum tanto Archi-Præsuli parentatum fuit. Igitur ad hanc funebrem pompam quatuor ex nostris coenobii Viennensis Religiosis Posonium concederunt, gratum animum totius Ordinis nomine piissimo Fundatori testaturi, suarumque precum subsidio ac Sacrificiis ejus animae opitulaturi. Nos ultra Imaginem tanti Viri moderno-antiqua methodo, stylique lapidario in perpetuam gratitudinis memoriam exaramus sequens Epitaphium.

1695.  
SS. Sacramen-  
ticum  
obit.

D. M. G.

NATUS IN PUBLICUM BONUM  
REDIVIVÆ PANNONIÆ STATOR,  
PATER PATRIÆ,  
INCONTAMINATA VITÆ ARCHI-PRÆSUL  
**D. GEORGIUS SZECHENIUS**  
MORUM INNOCENTIA, PRISCO CANDORE  
GREGIS COMMISSÆ CURA  
NEMINI SECUNDUS.

FUIT.

SOBRIUS. JUSTUS. SANCTUS. CONTINENS.  
PER VIRTUTES PRINCIPE DIGNAS  
AD SUPREMAM REGNI TIARAM  
GRADUM SIBI STRAVIT.  
SUCCESSIVE  
**V. ECCLESIEN. VESPRIMEN. JAURINEN. EPISCOPUS.**  
ARCHI-EPISCOPUS COLOCZEN. ET STRIGONIEN.

ANNIS LI.

ECCLESiarum PASTOR ET RECTOR,  
VILLICUS UTILIS,  
CUJUS MEMORIA IN BENEDICTIONE CLUET.

QUIA

REGEM SACRO DIADEMATE REGNO COPULAVIT,  
HUNGARIÆ SPLENDOREM RESUSCITAVIT,  
TEMPLA, MONASTERIA, NOSOCOMIA, COLLEGIA PLURA  
EXCITAVIT, RESTAURAVIT, ORNAVIT.  
URBES MOENIBUS CINXIT,  
BUDA UNIVERSITATEM FUNDAVIT,  
MARTIS ET PALLADIS ARTES  
SUBLIMAVIT.  
QUEM ROMA MUNIFICENTIA PRODIGIUM MIRATA  
**LEOPOLDUS I. ROM. IMP. PATREM COMPELLAVIT,**  
SE **FILIUM ADDIXIT.**

Ccc

VI-

1695.

VIRO INCOMPARABILI  
OB PIO SUMPTU ILLAVIÆ INSTITUTUM CORNOBIUM.  
AD REDIMENDOS CAPTIVOS.

XII. KAL. MARTIAS AERA **X** M. DC. XCV.  
POSONII CORPORIS VINCULIS EXSOLUTO  
AD ETERNA MERITORUM IN COELIS PRÆMIA  
EMIGRANTI  
IN POSTERORUM MEMORIAM  
MONUMENTUM HOC ETERNITATI  
SACRUM  
FUNDATORI SUO BENE MERITO  
PERENNES POSUERE CLIENTULI  
**FF. ORD. SSS. TRINITATIS**  
REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

Insignia Ar-  
ebi - Episcopi. Et ne quis jure nos insimulare valeat, tanquam aliquid ad  
præsentem materiam pertinens a nobis prætermissum fuisset,  
etiam Gentilitiæ hujus Archi-Episcopi columbæ in cœruleo cam-  
po oleaginum sertum ore gerenti, & de trium verticum monte  
in cœlum subvolitanti breve subscribimus Hexastichon ; nam  
Horat. lib. 4. dignum laude *Virum Musa vetat mori.* Nos itaque pedum invo-  
lucrō compeditos Christianos & simul Trinitarium Redemptio-  
nis Ordinem Munificentissimo Mæcenati uberiūs his versibūs de-  
vincimus.

*Hoc olea sertò SZECHENT candida gesta  
Cælum subvolitans Alba Columba docet ;  
Captivis reducem dum nunciat illa salutem ,  
Mox surgit TRIADOS Fratribus Alma Domus.  
Eruta de mortis tenebris jam libera Turba.  
Corde Columbino Laurea serta capit.*

Aliud ejus Imagini in Aula Communitatis Viennæ subscriptio-  
ram.

Szechenii 1.  
& 2. syllaba  
conveniens est  
seri positi.

Præsule SZECHENIO non est præstantior ullus ,  
Munificus Populo munificusque DEO.  
Hic Pater est Patriæ , cuius venerabile Nomen  
Vulgatum terris & super astra sonat.  
Aureus Antistes plusquam celebrabitur aurum ,  
De quo Christicolis aurea dona fluunt.  
Illaviam TRIADOS Patribus Largissimus ornat;  
Hinc captivorum vincula solvit adhuc.

CA

## C A P U T . VII.

1695.

*Illaviensis nostri cœnobii Fundatio in effectum  
deducitur.*

I. **O**pus præclarè institutum , ut quàm maturimè sortiretur effectum , & piè defunctus Fundator suprema voluntate decrevit , & præsentissima Ordinis necessitas postulavit , omnis enim mora in talibus negotiis suò non vacat periculò ; cùm infensissimus omnis boni osor diabolus nunquam non similia pietatis opera ( si possit ) disturbare satagat , nisi versipelli astutiae ejus tempestivè occurratur. Scilicet *nocuit semper differre paratis* , & ut *Togatissimus Cato cecinit : Fron te capillata est , a tergo acca-  
sio calva.* Ne itaque elapsam nobis tam bellam occasionem fru-  
stra aliquando deploraremus , Testamenti tabulas & Foundationis Diploma paulò post obitum suprà laudati Archi-Præsulis ad Au-  
gustissimum LEOPOLDUM I. Romanorum Imperatorem &  
Hungariæ Regem detulimus , enixissimis precibüs flagitantes , ut Sua Majestas supremam Optimi Fundatori nostri voluntatem ratam habere , eámque Regia sua Auctoritate confirmare digna-  
retur. Gavisus est Clementissimus Imperator suam Epistolam ( quam superiùs adduximus ) apud Archi-Episcopum pondus ha-  
buisse , novámque sibi de Ordine nostro bene merendi occasio-  
nem oblatam gratulatus , jussit quamprimum Règias Litteras expediri , eisque supradictas Foundationis Tabulas inseri , quas ratas , gratásque declaravit , & benignissimè approbavit , suóque Decretò confirmavit ; id est , Ordinis Introductioni , con-  
tentæque Institutioni & Foundationi Regium præbuit Assensum , ut latius patet in Cæsareo diplomate dato Viennæ Austriæ die XXII. Martii , Annō , in quem præsentia commentamur , quin-  
tō & nonagesimō currentis sæculi.

II. Quoniam verò præfata Illaviensia Bona Jure Hæredita-  
rio pertinebant ad Excellentissimum D. Sigisfridum Christopho-  
rum Comitem Breünerum & Successores ejus , proinde Ordini no-  
stro inscriptio duntaxat jure tradi poterant , sicut per modum Hy-  
pothecæ oppignorata fuerant ad decennium ; nunc verò nobis ad sequens residuum octennium concessa sunt , vel donec credita nomina a prædicto Comite dissoluta fuissent. At quia rura-  
lium prædiorum œconomia viris Religiosis , & præsertim novis in Regno hospitibus minimè congruere videbatur , tanquàm res plurimis mentis evagationibus obnoxia ; hujuscemodi enim cu-  
ris animus a cœlestium rerum contemplatione avocatur , ut jam nihil loquar de aliis non paucis incommodis , quibus in regio-  
ne nobis peregrina expositi eramus , rerum & regionis expe-  
rientiâ etiamnum destituti , ideo adnitentibus potissimum Co-  
mitibüs Breünerianis , & ad repetendam possessionem Bonorum anhelantibüs , cùm illi nobis præter constitutum censum , etiam

Urgetur exe-  
cutio Illa-  
vienis Funda-  
tionis.Cato in diffi-  
cilibus morali-  
bus.Reservat  
annuò censu.  
Patres se bo-  
nis abdicant.

1695. situm pro ædificando templo & cœnobio, aliisque plura emolumenta pollicerentur, seseque Compatronos hujus cœnobii efficere vellent, facile Patribus persuasum fuit, ut se Bonorum Dominio abdicarent certis anni censūs proventibūs contenti. Transactum est igitur inter utramque partem certis quibusdam conditionibūs, temporum tamen injuriis postmodum non mediocriter convulsis, & Illaviense Dominium cum Jure Possessio-  
nis transcriptum est Breunerianis Comitibus, eorumque Successoribus per Litteras subscriptas die VI. mensis Aprilis ejusdem anni nonagesimi quinti.

*Acceptata Bonorum possessio & sub paratis conditionibus rursus abdicata.*

III. Porro recti ordinis & solidæ transactionis ratio postula-  
bat, ut pro majore firmitate hujus mutuæ conventionis prius  
nostris Patribus piæ Legationis titulō Bonorum Possessio publi-  
cis & consuetis solemnitatibūs iniretur, ac deinde parili ritu eo-  
rundem Dominium abdicaretur, hinc P. Josephus ab Angelis  
Commissarius Generalis P. Josephum a Sanctissimo Sacramento,  
& alterum P. Josephum a IESU Maria eo tempore in nostro  
Conventu Viennensi tyronum Magistrum, utrumque natione  
Hispanum & Fr. Jacobum ab Angelis vitam activam professum,  
patria verò Austriacum Viennensem, cum requisitis facultatibus  
Tyrnaviam ablegavit, eisque in mandatis dedit, ut porrebat  
supplici Libellō pro Regni more a Venerabili, Metropolitanā Stri-  
goniensī Canonicorum Capitulo peterent Ordinem nostrum ad  
possessionem Bonorum Illaviensium introduci, & facultatem evin-  
cerent eadem sub certis conditionibus mox rursus abdicandi. P.  
Commissarius Generalis, ad quem Ordinis nomine pertinebat,  
propria in persona his actibus adesse, dum supradicti Religiosi  
Tyrnaviae hoc negotium urgent, ut XVIII. die ejusdem mensis  
Aprilis alteri non minus nobili functioni, videlicet Primi Lapi-  
dis pro fundamentis novae Viennensis nostræ Ecclesie Colloca-  
tioni (de qua sequenti capite nobis erit sermo) assisteret, re-  
quisita interim disposuit. Tyrnaviae autem productis legitimis  
documentis & comprobatis omnibus Patres ad nutum impetri-  
verunt universa. Ablegatus fuit continuo è canonicorum Stri-  
goniensium gremio Illustrissimus & Reverendissimus electus Epi-  
scopus Almisiensis, Praepositus S. Thomæ de Monte Strigonien-  
si, D. Ladislau Biber, ejusdem Metropolitanæ Ecclesie Cano-  
nicus & Curio civitatis Tyrnaviensis, ut nomine Strigonensis  
Capituli introductioni, traditioni, & abdicationi Bonorum Illa-  
viensium pro more assisteret, qui etiam XXI. ejusdem Aprilis cum  
suprà nominatis Patribus Illaviam pervenit. Sequenti die P. Jo-  
sephus ab Angelis Commissarius Generalis cum P. Emmanuele à S.  
Maria properato itinere Illaviam attigit. Aderat ibidem quo-  
que Excellentissimi D. Sigisfridi Christophori Comitis Breunerii  
Ablegatus procuratorio nomine. Promulgata itaque eorum ad-  
ventus causâ, facta fuit ab Illustrissimo & Reverendissimo Epi-  
scopo Nobilium Virorum convocatio, ut si quispiam Introdu-  
ctioni præsenti Patrum jure quid opponere posset, potestatem  
haberet reclamandi, suamque protestationem intra præfixum  
temp.

temporis terminum palam faciendi : nemine vero contradicente itum est ad propositi negotii executionem , & premisis de more ceremoniis die XXIII. dicti mensis publico praesente Notario Patres pacificam Illaviensium Bonorum Possessionem acceptaverunt, & eodem die sub certis pactis & conditionibus eadem bona Excellentissimo D. Comiti Breunerio resignaverunt . iisdem ferè ritibus , quibus eorum Dominium paulò ante suscepereant. Sumpta postmodum meridiana refectione concio dimissa fuit. Demum in pectorum vicem & initium per Alegatum D. Comitis Compatroni in novam Foundationem Religiosi nostri solemniter introducti sunt , accedente quoque Illustrissimi & Reverendissimi D. Blasii Episcopi Nitriensis Diocesis & Ordinarii Facultate. Assignatus est locus Religiosorum habitationi in palatio exterioris arcis versus Vagum fluvium ; arx enim interior propter ruinas & parietina vitia nemini tutam stationem promisit. Religiosis nostris ibi degentibus sub Praesidis nomine praefectus fuit P. Josephus a Sanctissimo Sacramento , Vir laudabilis moribus conspicuus , & vitae Sanctimoniam commendatus. Quibus ritè peractis Pater Commissarius Generalis, relieto ibi P. Emmanuele a S. Maria , cum P. Josepho a JESU Maria tyronum Magistro Viennam remeavit, quò III. mensis Maji feliciter pervenit , reliqua Ordinis negotia ibidem curaturus.

1695.

*Primus Praefes cuncti Illaviealis.*

## C A P U T . VIII.

### *Primus lapis in fundamentum pro Ecclesia nostra Viennensi solemini ritu ponitur.*

I. Postquam hyems desæviisset , & amœni Veris propinquitas mitiorem aërem reddidisset , resumptus est fodendorum fundamentorum pro nova Ecclesia nostra Viennensi labor , & continuatum fuit opus, donec fossores octodecim pedes geometricos profunditatis asscuti fuissent , viamque ad ima per æquabilem declivitatem excavatam & satis latam aperuissent, quæ ut descendentes commodius admitteret , tabulis infernè constrata , atque ex utroque latere benè fulta & coagmentata fuit , ne quid telluris in scrobem rueret. Calcis , arenæ , lapidumque apparatus aderat non modicus ; quibus omnibus ritè dispositis , Cæsareæ Majestati humillimis preciis supplicavimus , vellet ad hoc DEO gratum , & nobis pro immortali beneficio futurum officium sese demittere , ac primum pro prima in Austriacis Hæreditariis Regionibus Ordinis nostri Ecclesia Lapidem ponere. Has preces Cæsar consueta Benignitate exceptit , & peragendæ adeò memorabili celebritati XVII. Aprilis diem prefixit , quæ eō anno incidit in feriam II. secundæ post Pascha hebdomadis. Hæc illuxit solito senior , totaque cœli facies ad publicam hilaritatem tamen aptè se composuit , ut candidis nutibus instanti solemnitatì suffragari videretur.

*Fundamenta pro nostra Ecclesia Viennensi fossa.*

*Invitator Cæsar ad I. pennendum lapidem.*

1695.  
Dispositio ad  
ponendum  
lapidem.

II. Eodem die manè juxta latè hiantis fundamenti fossam Crux magna erecta fuit; ipsa verò fossæ latera, per quæ patebat descensus, pretiosa ambiebant peripetas mala. Pròpè ingressum ad ipsam fossam mensa in modum aræ consistebat candidis coperta linteis, in qua Crucifixi Salvatoris nostri effigies duos inter ardentes cereos prostabat. Ad ejusdem Crucis pedem Lapis albus marmoreus in quadratam formam redactus jacebat, in cuius medio concavitas orbicularis magnum nummum aureum decem aureorum Hungaricorum pondere continebat Cæsaris liberalitate donatum. Nummus parte una Imperiale bicipitem Aquilam præferebat, ex altera sequentem inscriptionem ostentabat:

**LEOPOLDUS I. ROMAN. IMP. SEMPER AUG.**

*CEU*

**ALTER JACOB PRIMUM LAPIDEM HUIC TEM.  
PLO COLLOCAVIT IN TITULUM.**

**DIE XVIII. APRIL. M. DC. XCV.**

Porro foramen illud, quod aureum hunc nummum suo gnu excepérat, plumbeâ claudebatur lamellâ, cui sequentia verba in sculta visebantur:

LEOPOLDUS Primus Augustus me locavit:  
Romanam Sedem justè moderante  
Duodecimô INNOCENTIO, atque sacravit  
Pietate ipsius fidem comitante:  
JOSEPHO Primô, quem Cæsar generavit,  
Romanas faustè habenas jam captante.  
TRIADOS Redemptionis Excalceatis  
Per Joannem Sancti Antonii moderatis,

*Die 18. Aprilis 1695.*

In eadem mensa sive ara partem unam occupabat Ecclesiastico rum Rituum volumen, alteram situla lustralis undæ cum aspergillo ex viridis hyssopi herba.

Loci & pri-  
ni lapidis be-  
nedictio.

III. Praestitutâ horâ adfuit Celsissimus Princeps Ernestus Episcopus Viennensis sacras cæremonias peracturus. Hic itaque Pontificalibus vestibûs ornatus ad erectam Crucem, quam diximus, cum ministris accessit, & elata voce Antiphonam: *Signum salutis pone Domine.* inchoavit. Hac absolutâ *Psalmus 83.* *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum,* alternatim recitatus fuit, dum interea religiosa Communitas nostra in supplicationis formam ordinata præcedente cœnobii cruce locum ædificandæ Ecclesiæ circumivit, quam proximè cum suo Reverendissimo Clero subsecutus est Princeps Episcopus, situm & designata fundamenti loca lustrali undâ respergens, císque consuetis juxta

juxta Romanum Pauli V. Pontificis Rituale precibus benedixit; deinde pariformiter Primum Lapidem in fundamenta ponendum peculiari benedictione sacravit.

1695.

IV. Hac functione ad calcem perducta, paulò post adveniunt Eminentissimus Cardinalis Kolloniczius, Illustrissimus & Reverendissimus Nuncius Apostolicus, Legati Hispaniarum Regis, Venetæ Reipublicæ, Ducis Sabaudiæ, aliisque plures aulæ Cæsareæ Proceres Suæ Majestatis adventum praetolaturi, quos undans innumerabilium civium Viennensium multitudo cingebat. Aderant quoque non pauci e diversis Regionibus adveniæ, quos rei novitas ad infrequens spectaculum exciverat. Post horam nonam cum dimidia splendida multorum Magnatum turbâ stipatus adfuit Augustissimus LEOPOLDUS Imperator cum Serenissimis JOSEPHO Romanorum & Hungarorum Rege Filio, & MARIA ELISABETHA Filia Archi-Duce Austriae: Augusta tamen ELEONORA in hac occasione ad nos non venerat, verita fortassis, ne si ipsa quoque compareret, longo nobilissimi gynecei syrmate, quod pro statu dignitate post se traxisset, exiguum parvæ Ecclesiæ nostræ spatium nimirum completeretur.

Confluxus  
Aulæ Proce-  
rum cum Ca-  
esar, Rege Fi-  
lio & Archi-  
Duce Filia.

V. Rebūs omnibūs ritè comparatis Augustissimus LEOPOLDUS Imperator, & JOSEPHUS Rex Filius cum paucis Aulæ Ministris præcedente Principe Episcopo in angustam fundamenti fossam descenderunt. In hac postquam Celsissimus Præsul Ecclesiasticas cæremonias absolvisset, præcipuus fabricæ architectus cæmentum in ornatam trullam receptum super terram effudit, cui Augustissimus Cæsar Primum construendi templi Lapidem immersit, tribus iætibüs in honorem Sanctissimæ TRINITATIS argenteō malleolō impactis. Quô factò tympanotribæ cum tubicinibus faustum in omen hilariter applausere, & festivo sonitu omnium corda in multiplicita jubila permoverunt. Primus iste Lapis ibi jacet, ubi hodiè altare S. Annæ conspicitur. Opus in hunc modum magnificentissimè coeptum muratores alacriter prosecuti sunt. Inde cum Principe Episcopo & Sacris Majestatis longo, decentique ordine Religiosa nostra Communitas præcedente cœnobii cruce, ovantium more, per substratas tabulas, pontem vulgo nominant, ad veterem sacram ædiculam nostram perrexit, ibidemque post solemniter decantatum Hymnum Ambrosianum Missæ Sacrificium ab eodem Antistite inter concentum palatinæ symphonie peractum fuit. His circa meridiem ad finem perductis, P. Josephus ab Angelis Commissarius Generalis Religiosorum cœtu stipatus ad Ecclesiæ Januam Augustissimum Cæsarem LEOPOLDUM & JOSEPHUM Regem, atque MARIAM ELISABETHAM Serenissimam Archi - Ducem Austriae execentes prætolabatur. Quibus in transitu subsistentibus P. Commissarius Generalis gratias prolixè dedit omnibus singillatim pro speciali hoc favore nobis exhibito, simul & rara quedam munuscula singulis obtulit, nimirum Imagines JESU NAZARENI pretiosè ornatas, & urceos e decumanis Indie juglandibus artificiose laboratos, suisque argenteis & deauratis circulis, ansulis

Imperator  
primum lapi-  
dem ponit.

Offeruntur  
munusculæ.

1695.

*Ovid. Fast. 1.* & operculis decoros. Hos Domina Comes Mater nostra Harachia ex cimeliarchio suo depromptos nobis in hunc finem suppeditaverat. Dictis xeniolis additus fuit parvus liber castellanis versiculis concinnatus, quō Religiosa Gratitudo Cæsareo devinata favore publicum edidit applausum. Nam *dicenda bono sunt bona verba die*. Atque hōc pactō solemnitas adeò memorabilis finem sortita est. Ipsa verò templi structura ingenti calore properata magis quotidie ex imo eluctabatur.

## C A P U T IX.

### *In Comitiis Generalibus Ordinis separatur Gubernium Germaniae a Polonia. Situs templi Viennensis beneficio Magistratus ampliatur.*

*In Comitiis  
Ordinis Gene-  
ralibus P.  
Joannes a S.  
Antonio eligi-  
tur Major, ac  
Generalis Mi-  
nister.*

*Primus Mi-  
nister Viennae.*

*Separatur  
Gubernium  
Germaniae a  
Polonia.*

*Redemptor  
captivorum.*

*P. Josephus  
Ordinis Praef-  
tus qui cum reca-  
litate admittere.*

I. **P**ridie Kalendas Maji Sabbatō ante quartam Dominicam post Pascha juxta dispositionem Sanctæ Regulæ Ordinis nostri Patres Toleti in Hispania Generalia celebraverunt Comitia, in quibus noster P. Joannes a S. Antonio, qui post sponte depositam a Nostro P. Raphaële supremam Ordinis dignitatem, ut jam meminimus, Vicarii Generalis nomine ferè per sesqui annum Ordinem gubernaverat, consonis suffragiis Major, ac Generalis Minister salutatus fuit. Debebatur hic honor tanti virtutis, qui nuper Ordinem nostrum Poloniæ invexerat, ejusque in Austria, nunc feliciter succrescentis, stabiendi primam curam suscepserat.

II. In iisdem Comitiis primus cœnobii Viennensis Minister electus fuit P. Josephus ab Angelis prorogato eidem Commissarii Generalis munere in ditionibus tamen duntaxat Cæsareis, in quibus occurrabant tres constitutæ Domus, Viennæ nimirum, Patakini & Illaviæ. Ille hucusque & Germaniae & Poloniæ conventibus sub Commissarii Generalis nomine præfuerat, quod hī vero ab illis distarent longius, pro Polonia electus fuit alter Commissarius Generalis, P. Maurus a Conceptione, qui sex Ordinis nostri conventus in illo Regno fundatos, Leopoli videlicet, Varsaviæ, Casimiria ad Cracoviam, Stanislaoviæ, Beresteski, & Vilnae in Lithuania eadem potestate gubernaret; translato ab illo Redemptoris captivorum munere in P. Joannem a S. Augustino, Præsidis officio in Viennensi cœnobio prolixè perfunatum. Acceptavere quique delatas sibi provincias excepto P. Josepho ab Angelis, qui plurimum tergiversabatur; huic enim tam gravis accidit electio, ut aliquot diebus mœroris magnitudine absorptus publico abstinerit. Demum a Patribus seriò monitos tantam in parendo difficultatem ei haudquaquam esse decoram, tandem ne Divinæ voluntati ultrò adversaretur, aut sibi, aliisque periculum crearet, humeros oneri subjicit, mente tamen in resignationis proposito ita obfirmata, ut certum haberet delatum Magistratum quamprimum abdicare, quod etiam paulò post reapse præstitit, & ardentissimis precibus Majores Ordinis tam diu

dju fatigavit, donec missionem impetrasset; quamvis nunquam liquidò explorari potuerit, quas ille rationes allegaverit, ut integratam honoris sarcinam ab se excuteret. Id tamen DEO displicuisse ( si conjecturæ locus est) ex varijs calamitatibus colligitur, quæ ipsi e vestigio supervenerunt.

III. Crescebat interim novi templi ædificium quotidianis amentis, & ex una parte, quæ adhæret cœnobio, suis fundamen-  
tis innitens jam e solo emergebat. Ex adversa parte juxta pa-  
rallelum prosequi ædificium opus erat. Cum vero augustius  
templum meditaremur, quām fundus noster patiebatur, & vi-  
cinum ad Orientalem plagam spatiū, templi lateribus exterius  
adhærens, satis amplum esset, ut proinde absque publici tran-  
sitū detimento aut incommodo magna terræ portio detrahi  
posset, quam designata Ecclesiæ latitudo efflagitabat; ideo sup-  
plex libellus civico Magistratui oblatus, & facultas postulata fuit  
situm prorogandi; præcipue cum vacuum illud plateæ spatiū  
ob reverentiam templi nec domibus ædificandis, nec alijs alii-  
quando usib[us] posset deservire. Audit[us] sunt nostri in senatu,  
qui confessim duos viros ablegavit, ut loci situm sollicitè inspi-  
cerent, & quid? quantūmque plateæ spatiū absque publico  
incommodo detrahi posset, ad Senatum referrent. Re deinde  
in Magistratū consilio ventilata hoc responsum prodivit: *Fundum illum Ecclesia superaddendum pretiō pensandum esse.* Quia ve-  
rō instantiū Patres illum donō sibi dari postulabant, eo quod  
ad dilatationem templi in honorem Sanctissimæ TRINITATIS  
ædificandi hic fundus peteretur, adeoque pietati tanti Magistra-  
tūs conveniret, ut eum pro amplificanda Divina gloria gratis  
concederet, polliciti, se hoc beneficium suis preciib[us] cumula-  
tè pensaturos, suau tandem Illustrissimi urbis Consulis Sena-  
tores emollitifuerunt, & ex dicto illo fundo publico nobis quantum  
petebamus, pedes Geometricos nimirūm centum sexaginta qua-  
tuor in longitudine, & viginti in latitudine gratuita benignitate  
attribuēre. Precarie hujus donationis Decretum expeditum est  
VI. mensis Junii currentis anni quinti & nonagesimi; quod de-  
bitè gratitudinis ergo in hoc loco commemorare volui, quatenus  
tam insigni beneficio suus honor & memoria habeatur, quem-  
admodūm in alijs occasionibus a nobis observatum fuit, ac dein-  
ceps observabitur.

Situs templi  
Magistratū  
beneficium am-  
pliatut.

## C A P U T X.

*Illavie res in cœnobii formam reducuntur. Exem-  
plaris Religiosorum ibidem vita, & Sanctissime  
Eucharistie collocatio.*

I. **A** Pud Illavienses, dum rudia rerum initia in meliorem or-  
dinem rediguntur, præcipuam libi curam vendicavit struc-  
tura facelli, in quo pro loci opportunitate Divina officia per-  
agerentur; nam hucusque Patres Parochiale templum quotidie

Sacellum la-  
trece disponi-  
tur.

Eccœ accel-

1695.

accesserant, ut Missarum Sacrificia ibidem celebrarent. Prominebat in castro Illaviensi angularis quædam turris nostræ habitationi contigua, angusta quidem & paucorum hominum capax, decens tamen, in qua secundum primitivam exigentiam ara posita fuit. Sacrarum vestium paramenta, & argenteum calicem nobis donò dederunt Reverendi Patres Societatis JESU Trenchinenses, a quibus ea priùs mutuati fueramus, quod rursus ex gratitudinis titulo referimus. Primum Missæ Sacrificium, ut felix simul auspiciū accederet, in diem trigesimam Maji delatum fuit, in quam eō anno incidit Dominica Sanctissimæ TRINITATIS, Festum totius Sacri nostri Ordinis Titulare. Ut autem hæ Sacrorum Primitiæ ob solemnitatis splendorem tantò celebriores evaderent, invitati sunt quidam magni nominis hospites, in quorum præsentia tres Ordinis nostri Sacerdotes Missas celebraverunt, quamvis eventus expectationi non satis responderit, cum præter illos pauci omnino essent, qui Sacellum adirent, majori scilicet incolarum parte Lutheri dogmate infecta, qui ne constituta die Illaviae reperirentur, fors ex compostra fraude Trenchinium duabus inde leucis dissitam urbem, ex odio Sacrorum Catholicorum discesserunt, suæ sedetæ ministellum ibidem audiuti: rarus proinde fuit, qui ea die in oppido cerneretur. Heris autem longius absentibus famuli, ut fieri solet, domi insolentiis agebant, quorum incuria eadem die duabús post meridiem horis exortum fuit domorum incendium, quò totum oppidum conflagravit, parochiali duntaxat templo, & arce, in qua Religiosi nostri habitabant a flammarum fœnitie intactis, quod plerique in poenam oppidanorum ob aversionem erga res Catholicas evenisse interpretabantur.

Duo Religiosi  
adveniunt  
Illaviam in  
subsidium.

Ad alterum  
arcis partum  
se nescio  
transfervit.

Tyronium  
Ordinis.

II. Vigesimā mensis Julii accesserunt Illaviensibus nostris in subsidium P. Adalbertus a S. Andrea & Fr. Joannes a S. Felice clericus. Cæterū quamvis eo tempore quinque solum Religiosi Illaviae degerent, universa tamen, quæcunque poterant, Ordinis exercitia accuratè obibant: observabatur itaque inviolabile jejunium, rigidum colebatur silentium, duæ quotidiè mentali orationi horæ impendebantur, & Divinum officium suis temporibus in choro recitabatur. Quod supererat tempus studio, aut spiritualium librorum lectioni tribuebatur. Porro ut vitæ Regularis normam perfectius sequerentur, in altera arcis regione dispositæ fuerunt seorsim parvæ mansiunculæ afferibüs discrete, ac simplici opere in Religiosarum cellarum formam aptatae; Sacelli vices explebat decentior locus in altera consimili turri paulò majore. Quibus accessit postea cœnactulum æquè tumultuario opere exstructum, aliæque officinæ, quæ Religiosis ultima Octobris patere cœperunt. Inducta simul fuit novæ habitationi exactissima vitæ Regularis disciplina; duobús etiam aggregatis tyronibus, quibus ad Ordinis instituta formandis designatus fuit Magister P. Emmanuel a S. Maria. Quo illi tyrones cum aliis duobus recenter professis, alter namque Viennâ non ita pridem advenerat, cum suo Magistro, ut moris est, in sejunctam a cœte-

PP. Societas  
JESU in  
Illavias  
nostros bene-  
fici.

Illavia in-  
cendiis con-  
flagrat.

1695.

ceteris habitationem reclusi, arctioris vitæ posuere fundamen-  
tu. Fidem superat, quanto spiritus fervore illi in hoc recessu  
virtutis tramitem sedati fuerint: a creaturis omnibus abstracti,  
caelestibus & Creatori DEO solum intenti orationi, vel medi-  
tationi continuè vacabant, aut manuali quodam opere exerce-  
bantur. Adhibita demum sunt omnia, quibus secundum per-  
fecte ascenos methodum sensus tam interni, quam externi edo-  
mantur, & spiritui subjiciuntur. Licet autem inter illas angu-  
stias perpetuis incommodis conflectarentur, nefas tamen puta-  
bant vel solum oculos levare, blandamque viridianum campo-  
rum faciem intueri, clavò etiam obfirmatis fenestris, ne vide-  
rent, quæ foris sunt, & ne ab exteris viderentur; hoc enim pro-  
pulsus piaculo censebatur. In omnibus patiter elucebat lumina  
paupertas, animis omnium tanto fervore ad perfectionem an-  
helantibus, ut necessariis etiam haud gravate carerent. Totius  
loci ornatus erat parva Crux lignea cum Dominica Passionis in-  
signibus: Beatissimæ Virginis DEIPARÆ Icon designabat odeum,  
coram qua in genua provoluti consueta obibant spiritualia sua  
exercitia. Quò versus tyrocinii januam transitus patebat, ex  
utroque cellarum latere uncialibus litteris inscriptæ fuerant plu-  
ribus in locis sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum senten-  
tiae, studiis arborum corticibus in quadrum marginatis, ut ea-  
rundem lectione mens jugiter ad DEI amorem, & mundanarum  
rerum contemptum excitaretur. Hæc inter regnabat tranquilla  
pax, reciproca charitas & omnium voluntatum concordia. Pro-  
priæ cognitioni unice intendebant, unde siebat, ut quisque opi-  
nioni suæ cedere, & alter alterum humilitate vincere studebat,  
& vinci gauderet. Non murmur, non querimonia, nec lamen-  
ta inter asperrimos etiam labores audiebantur. Neque ullus in-  
ter eos mœstus, aut pusillanimis videbatur; mens omnibus una  
hilaris, promptaque cupiditas multò plura pro CHRISTO Re-  
demptore sustinendi. Vita profectò horum Religiosorum ange-  
licam vivendi rationem referebat, utpotè quorum tota conversa-  
tio erat in cœlis; & gestus ipsi, motusque omnes DEI Präsen-  
tiā, eorum oculis obversantem, testabantur. Paucis: Priscos  
etemi Pateres hac nova in Thebaide, si non superabant, æqua-  
bant saltem, aut æmulabantur. Hoc vitæ genus quamquam  
privatos inter parietes ita occultaretur, ut soli DEO notum esse  
ipsi crederent, Fama tamen, ut est vocalis, virésque acquirit  
eundo. Longè latèque divulgavit, & complures nobiles adolescen-  
tes allexit, ad idem vivendi institutum ambiendum: quinimodo  
inter Heterodoxos Sanctimonia Illavienium Religiosorum in ve-  
neratione fuit, passimque, ut quidpiam insolitum, per ora plu-  
rimorum celebrabatur.

III. Et utiebamus tamen hactenus in Eucharisticis speciebus Pa-  
nem Angelorum. Suavissimus animæ cibus & dulcissimus Dominus.  
Præsidium & Custos. Paxque noster desiderabatur; proinde P.  
Paxles intenta solicitudine in id incubuit, ut votorum nostrorum  
quæ primū compotes efficeremur. In hunc igitur finem

*Rigida Illa-  
vienium Reli-  
giosorum  
vita.*

*Venerabilis  
Eusebilia  
7. Novembre  
collocatus.*

1695.

elegantis operis conditorum (tabernaculum vocant) coloribus, auróque obductum, quatenus tantus Hospes decentius in eo excepitur, fieri curavit, cuius utrinque latera ambiebant opere statuario Sanctorum Patriarcharum nostrorum effigies, quos tanquam Nostros in cœlis Patres & fidissimos apud DEUM intercessores filiali affectu venerabamur. Licentia tandem ab Illusterrimo Nitriensi Episcopo (cujus jurisdictione Illavia subest) obtentâ die VII. Novembris, quæ erat XXIV. Dominica post Pentecosten, cum Evangelica parabola de bono semine legeretur, ipse loci Praeses P. Josephus Sanctissimum Eucharistie Sacramentum sacro conclavi primitus intulit, nulla quidem, aut certe permodica exteriore pompa adhibita, majore tamen, quantum fieri potuit, cordis affectu & devotionis sensu. Huc deinceps cunctis studiis fuit accedere frequentius, de genibus coelestium sub faris specie DEUM adorare, largius fundere preces, ingeminare pia suspiria, horulas aliquot nocte diéque usitatis occupationibus suffurari, easque in obsequium Divini Numinis impendere, spiritualibus animum pacere deliciis, pietatis & religiosum sensum acuere, coelestibus igniculis mentem fovere, sacro calore pectus succendere, de consortio Domini exultare, gestire, ovare. Et haec quidem fuere præclara primorum Illavensium nostrorum exordia, norma subsequentium, nobilèque viæ religiosæ prototypon, ad quod futuri hujus loci incolæ nunquam non oculos reflectere deberent.

## C A P U T XI.

### *Quarta Redemptio captivorum rursus Belgradum destinatur.*

Veraque manus laboratur  
de in templi  
fabrica, & in  
redemptione  
captivorum  
promovenda.  
2. Edita e. 4.

I. **V**iennæ interea quamvis præcipui conatus nostri tenderent ad promovendam novi Templi structuram, nihil tamen in spirituali ædificatione prætermissum fuit; neque enim ædificandi studio nos adeò immerseramus, ut non identidem mente versaremus qualiter miseris captivis Christianis opitularemur. Renovabatur tunc in nobis veteris Testamenti Historia, quæ refertur, Israëlitas in restaurazione Templi Hierosolymitani una manu laborasse, altera vero gladium tenuisse, ut hosticas incurSIONES arcerent. Idipsum a nobis fiebat, qui altera manu templi structuram orgebamus, altera autem spiritualem gladium exerebamus, quatenus viva CHRISTI membra ab infidelium iuriis vindicaremus. Quamobrem neo-electus Redemptor P. Joannes a S. Augustino, utprimum conventus Viennensis Praefecturam depositus, vestigio consilia sua & cogitationes omnes eò consultit, ut novam iterum Redemptionem perficeret, quæ foret in serie quarta.

Quarta Re-  
demptio pro-  
mulgatur.

II. Conquisitis itaque ad hoc propositum maturandum subfidiis, tum in foro, tum in templis causa profectionis a P. Redemptore fuit euulgata, simûlque edictum, ut si qui sive

consanguineos, sive notos vel amicos in Belgradensi tractu habent, quos redemptos vellent, eorum nomina indicarent, aut opem aliquam in tam pium opus conferrent. Eminentissimus Cardinalis Kolloniczius re intellecta quindecim mancipia Turcica pro Christianis permutanda submisit, agitatumque fuit in Cæsareo Bellico Consilio, qua ratione cæteris omnibus tam hoc, quam superiore bello in captivitatem abductis Christianis, non modò Turcicorum mancipiorum permutatione, verùm etiam collatitiis pecuniis libertas conciliaretur. Quod ut facilius perficeretur, P. Redemptori hanc in expeditionem propediem abituantem commendatum fuit, ut omnium captivorum computum Belgradi facheret, ac notatis singulorum nominib[us], ætate, patria & dignitate accuratum eorum syllabum reportaret. Eadem negotio supra laudatus Cardinalis solerter intentus, Belgradum ad Turicum Gubernatorem litteras dedit perquam officias, quib[us] rogabat, ut, cum Redemptio captivorum in utriusque gentis commodum cederet, Gubernator ipse omni sua operac industriâ tam salutare negotium adjuvare, & in communem causam tedulò incumbere vellet; his adjecit: non pauca inter Christianos Mahometricæ stirpis mancipia reperiri, quæ nostri pro tuorum libertate afferenda haud inviti essent permutaturi, cæteros autem tolerabilis pretiō Turcis vendituri.

III. Hæc epistola spem magnam fecit hofticam tellurem penetrandi, ac intra Albæ Græcæ moenia cum ipsis barbaris de lytro, & de mancipiorum utriusque gentis permutatione transfigendi. Cæterum, ut res tanta ad votum succederet, inchoatumque Redemptionis negotium tanto citius ad felicem exitum perduceretur, opus erat Auctoritate insignis cuiusdam viri, qui P. Redemptorem suis consiliis fulciret, & ad rem opportune conficiendam manuduceret. Hæc secum volventi primus occurrrit Excellentissimus Dominus Baro Nehmius Cæsareus ad Turcarum limites Castris Petro-Varadinensis Gubernator. Huic itaque P. Redemptor missis literis suam intentionem exposuit, eundemque interrogavit: quis modus servandus esset, ut bona adversæ partis venia Taurunum adire liceret? addidit quoque, sibi persuatum esse, id facilè impetrari posse, si Turcico Præfecto significaretur, varia Mahometanæ gentis mancipia pro Christianis permutanda Belgradum adductum iri, & imposterum adducenda esse non sine magno utriusque gentis commodo, & luculenta ambarum Nationum utilitate. Egit per expeditos nuncios Excellentissimi Viri solertia, ut Gubernator Belgradensis votis nostris annueret rescripta ad hanc propositionem epistolâ, quæ ex turcico idiomate in latinum versa ita sonat:

Responso  
Turcæ Guber-  
natoria.

Postquam Populi in Jesum credentis Columnen nostrum honorandum sincerumque vicinum & Amicum Generalem Varadinensem, cuius extrema sint felicia, sciscitati sumus, quomodo valeat, & erga nos affectus sit; amicè significatur: quod Litterarum nobis Eff allia-

1695. allatarum tenorem ritè perceperimus, neverimusque duos Religiosos unà cum duodecim suis mancipiis orthodoxæ fidei cultoribus Varadinum appulisse, & indè hac intentione se huc Albam Græcam conferendi licentiam petere, ut captivos fideles cum Germanis permutent, verùm aliundè constat, quod non nisi tabellariis dediditiis, vel captivis vadimoniò datò instructis in utriusque partis confiniis hinc indè redire, ac venire liceat. Si autem re taliter se habente Religiosi apud vos detineantur, & captivi fideles datis idoneis vadibüs ad has partes mitterentur, isti a suis hic loci existentibus, & hytrum eorum solventibus exacto tempore & hora Divina favente gratia a captivitate liberabuntur; & si econtra quis ex hic locorum servituti addictis Germanis hic non existet, sed ad aliam provinciam abivisset, Vestri tamen vicini & amici, nostri gratiâ expresse quis expedietur, & liberatio ipsius omnistudiò procurabitur. Interea DEUS Benedictus & Excelsus largiatur constantem amicitiam: Et Salus super illos qui sequuntur viam salutis.

In Præsidio Belgradensi.

*Animadver-  
fiones in pri-  
mordia Ep-  
istolam.*

IV. Hæc Turcici Gubernatoris epistola primò Petro-Varadini ad Nehmium, indè Viennam missa, et si partim grata, non tamen ad rem, nec ad propositum, nec etiam secundum rei veritatem, & in pluribus obscura fuit, tantum abest, ut votis P. Redemptoris perfectè responderit, idque propterè, quia Turca rem aut non intellexit, aut intelligere noluit; nam cum opes Turcarum in mancipiis confitant, providè cavere voluit, ne illorum numerus propalaretur; tum etiam, quia nonnulli Turcarum reperiuntur, qui mancipia vendere recusant, nec ad eorum venditionem jure adigi possunt. Idem de permutatione mancipientium sentiendum est. Vocat Turcicos captivos orthodoxæ fidei cultores & subinde fideles, idque more suo, & secundum secundam Mahometicam; Christianos enim omnes ut infideles & gentiles idololatras aversantur, idque ex suis Mahometicis erroribus. Præterea de licentia Belgradum adeundi a P. Redemptore petita tam ambiguis verbis agit, ut nihil certi indè erui possit, quinimò voluisse videtur, ut Christianorum captivorum liberatio internunciorum operâ & vadimoniis pergeatur, quod rursus nostro proposito e diametro adversabatur. De duodecim tantum mancipiis Turcicis mentionem fecit, forte quia tria reliqua postea primò accesserant. Opponebatur autem veritati, Patrem cum mancipiis Petro-Varadini detineri, cum adhuc Viennæ responsum præstolaretur. Epistola utprimùm per expeditos veredarios Viennam perlata fuit, P. Redemptor, ut res se haberet, de Divina providentia confisus itineri se accinxit, & assumptò sociò fratre Ildephonso a S. Josepho post solitas in

in Ecclesia factas comprecationes in ipsa brumalis coeli inclem-  
tia viam ingressus est XV. mensis Decembris, ductis secum  
pariter quindecim mancipiis Turcicis. 1695.

V. Quantò verò longius itinere suo ab urbe discesserant, tan-  
tò clarius P. Redemptor, ejusque socius agnoscere cœperunt,  
quosdam ex Turcicis mancipiis perfidae gentis more clandestinam  
fugam moliri, avidèque opportunitatem captare quā vi, quā  
fraude ad suos evadendi. Horum propositum subodoratus P.  
Redemptor, ut eorum consilia enervaret, vigiles adhibuit, qui  
eos diu noctūque diligentissimè custodirent. Alia deinde ratione  
eos aggressus, & de æterna salute illorum solicitus tentavit fe-  
rocia pectora cœcurare hac eis conditione proposita, ut si ani-  
mum inducerent ad abjurandam Mahometanam superstitionem,  
& salvificam CHRISTI fidem amplectendam, ipso facto a servi-  
tute absolverentur, & libertati restituti facultatem haberent ad  
quascunque voluissent Christiani orbis provincias se conferendi:  
illis autem pervicaciter tam salutarem conditionem respuentibus,  
eosdem arctiore fræno & majori adhibita curâ in officio conti-  
nere studuit. Tandem rebüs omnibüs salvis Budam Hungariæ  
Metropolim feliciter tenuerunt. Cùm autem P. Redemptor ani-  
madverteret, se ob custodiā mancipiorum in suo itinere re-  
tardari, simûlque metueret, ne inter vastas solitudines & deser-  
ta loca, quæ eis peragranda nunc erant, perfidae gentis immani-  
tate, ac perditionum hominum conjuratione ipse ac tota Redem-  
ptio periclitaretur, & scelerati Mahometani paricidali scelere ad  
cupitam grassarentur libertatem; quid enim non audet hostilis  
animus loci, aut temporis opportunitate adjutus, & dulci spe  
ingentis prædæ allectus? maluit impendentia discrimina providè  
avertere, quam eorum formidine diutiùs torqueri. Egit itaque  
cum Praefecto Budensi, impetravitque ex supra dictis rationibus,  
ut mancipia tam diu in arce hujus civitatis custodirentur, donec  
occasio sece offerret ea pro Christianis commutandi. His itaque  
transactis P. Redemptor assumptis secum aliquot militibüs, qui  
se in via adversus latronum incursions tuerentur, iter suum  
tantò celerius deinceps est prosecutus, quantò liberior erat a mo-  
lestissimis curis, quibüs priùs ob Turcicorum mancipiorum ver-  
sipellem calliditatem perpetuò vexabatur. Petro-Varadinum de-  
latus ipse lactabatur minimè dubia, salvi conductus litteras a Gu-  
bernatore Belgradensi accipiendo, atque adeò Redemptionis nego-  
tium proximè auspicandi. Ast inania fuère Patris vota; vix  
enim Petro-Varadino pedem intulit, dum protinus certis nun-  
ciis intellexit, iisdem diebüs, quibüs ipse Petro-Varadinum pro-  
fectus fuerat, alium Belgradi Gubernatorem priori successisse.  
Nova suboritur curarum fæges, eoque difficilior evadit conatus,  
quò minus exploratus erat novi Gubernatoris animus. Quæ in-  
ter consilia poltremi dies anni quinti & nonagesimi ad finem  
pervenerunt.

Cura ac fa-  
gerent man-  
cipia.

1696.

## C A P U T XII.

*In diversis locis occasiones fundandi Cœnobia Ordini  
se offerunt, sed operariorum desequi præpediuntur.*

Bona fama  
Patronum Vienn-  
ensem facit,  
ut Ordo ad  
plura loca  
avysetur.

Conventus in  
Hungaria,

Alter in Mo-  
ravia,

Tenuis in  
Styria,

I. **D**um interim in principio hujus anni millesimi sexcentesimi nonagesimi sexti P. Redemptorem in præsentis Redemptionis negotiatione ad Petro-Varadinum pro viribus luctari, zelare, & agonizare sifimus, ad alia quædam nascentis nostre Provinciæ momenta expedienda stylum animumque convertimus. Jam pridem plerosque in amorem & admirationem rapuerat Patrum Viennenium sanctitas & eruditio insigni modestiæ conjuncta. Suspiciebant præsertim homines in eis accuratam regularis vita disciplinam, laudabilem cum exteris conversationem, & indefessam in redimendis captivis solitudinem, ut proinde non pauci reperti fuerint, qui idem Institutum suis regionibus implantare, & in plures Ordinem colonias deducere efficitur discuperent. Præprimis autem Eminentissimus Cardinalis Kollonitzius, anno superiore pridie Idus Julias in Hungaria orbatus per mortem D. Georgii Szechenii Metropolitanæ Strigoniensis Ecclesiæ dignissimus suffestus Archi-Præfus, crebrius cum nostris sermonem contulit de novo in eodem Hungariæ Regno Ordinis Cœnobia condendo. Parili desideriò exarsit Excellentissimus D. Philippus Christophorus Comes Breünerus Prætidii Spilbergensis ad Brunam Moravum Præfetus, Vir Trinitario Ordini nostro adeò devotus, ut, quemadmodum soperiùs insinuavimus, albò palliò, quô frequenter utebatur, rubram cæruleamque ordinis Crucem pro more veterum (ut fama tulit) Trinitariorum Equitum afflui curaverit. Hic itaque repetitis precibüs aliquot Ordinis nostri Cœnobitas sibi concedi postulavit, quos eadem in urbe Brunensi totius Moravie celeberrima stabiliret. Græcium, quæ Metropolis est Ducatus Styriae, parem in nostros fovebat devotionem: morabatur nimis ibidem quidam e primoribus illius urbis, qui commodum indicabat locum a Magistratu facile impetrandum, & condendo Monasterio aptissimum, pollicitus, se tuò suffragiò, quod erat instar plurimorum, effecturum, ut hujus loci compotes efficeremur. Vivebat sub idem tempus ibidem Nobilissima Vidua e Comitem Montoyorum Familia, quondam MARGARITÆ Imperatricis, prima LEOPOLDI Imperatoris Conjugis, Assecla honoraria, quæ ejusdem fundationis in effectum perducendæ desideriò ardebat, si que in hunc finem suis opibus sex Thorenorum millia illis juvandis initii destinaverat. Locus hic est in monte ad Græcium, in quo Ecclesia Virginis DEIPARÆ, sub titulo Consolatrix afflictorum, consecrata visitur, magnaque affluentis undique populi religione ob plurimas impetratas gratias frequentatur, quæ postea Reliquiis Patribus S. Pauli primi Eremitæ attributa fuit, qui ibideam celebre sui Ordinis monasterium condiderunt. Ad Imperii Ditiones, Rothenburgum nimis civitatem Neccaro fluvio assidentem,

par-

pariter evocabamur feliciore voto quam successu, nostris cunctantibus Templum & coenobium cessit Patribus de Monte Carmelo. Urebant equidem anxiam mentem has inter tam beatas opportunitates omnibus satisfaciendi desideria, sed obstabat messis ubertati operiorum penuria; Patres enim, qui ex Hispania in Austria pervenerant, numerò erant pauci, & insuper per varia loca dispersi, utpotè quorum alii Viennæ, alii Patakini, alii vero Ilavie degebant, nec revocari facile a suis stationibus sine incommmodo aut detimento poterant, cum eorum praesentia ibidem ad ritè formanda nascentium coenobiorum initia summa foret necessaria; etenim, ut communī fertur adagio: *Non convenit unum altare spoliare, ut alterum ornetur.*

II. Imò, quod res nostras maximè afflxit, & Ordinis progressum sufflaminavit, P. Josephus ab Angelis coenobii Viennenis Minister, & tam hujus, quam aliorum in hac Provincia Conventuum Generalis Commissarius, penè quem rerum summa maximo Religionis emolumento hactenus fuerat, non modò de munere suo extricare sese, verùm etiam in Hispanias remeare anhelabat, ut proinde omnia sensim in pejus ruerent, & Ordinis propagatio haud vulgarem cladem acciperet. Aderant quidem Religiosi ex Germania oriundi, sed hi velut recentiores plantulae studiis litterarum distinebantur, & ob etatis imbecillitatem gravioribus negotiis per agendis impares censebantur. Unicum supererat remedium, ex Hispania in subsidium laborantis Provincię accersere viros pietate, ac doctrinā prestantes, qui ad hujusmodi expeditiones idonei possent præsentí necessitatí frontem objicere. Qua de causa Excellentissimus Comes Harrachius, qui sacra nostre Familiæ his in oris stabilimentum & propagationem veluti rem suam propriam considerare solebat, ad nostrum Patrem Joannem a S. Antonio Maje- tem & Generalem Ministrum ferventissimi zeli plenas dedit litteras, quies urgentissimam strenuorum operiorum necessitatem exposuit, & Religiosos novæ vineæ excolenda aptos in Germaniam submitti postulavit. Hanc epistolam, quæ veritatem dictorum ubertim comprobat, & propensissimum Excellentissimi Viri studium erga Sacram Religionem nostram ostendit, ex idomate Castellano in Latinum iisdem ferè verbis, et si neglecto Latinitatis cultu transvertere congruum duxi, & subtexere. Ecce illam:

### REVERENDISSIME PATER.

*Cognoscens magnum Reverendissime Vestra zelum in propagatione Sacra sua Religionis, utpotè qui primus in has oras venerat ejusdem dilatande causâ, non possum non eidem exponere plures esse in hac Aula & in his Regionibus prime Nobilitatis Magnates, qui Religiosis Hispanis singulariter afficiuntur; plerique illorum a P. Ministro expertunt Patres, ut eosdem ad sua ducant oppida, vel civitates pro Sacrum Ordinem propagandi, fundandique plura Coenobia, & Hospitia. Verum quia dictus P. Minister eorum paucitatem*

1696.  
Quatuor in  
Imperio ad  
fluvium Nec-  
carum.

Nihil sit ob  
defectum  
operiorum.

P. Josephus in  
Hispanias re-  
dire postulat.

Comes Har-  
rachius ex  
Hispania con-  
silia Reli-  
giois optima-  
dat.

Epistola Co-  
minis Harr-  
achi ad N. P.  
Generalem.

causatur, negatque, integrum sibi esse, aliquos dimittere, nisi alii veniant ex Hispania; itaque ad meam recurrent intercessio- nem, ut id solatii, me opitulante, consequantur. Ego vero eis obsequi cupiens, simile de commodo & augmento hujusmodi Cœ nobiorum solicitus in considerationem Vestre Reverendissime pono, videlicet, in hisce principiis de Conventu isto Religiosos Hispanos extrahere, idem esse ac eundem destruere; sunt enim propter exemplum & religionem suam admodum necessarii; ita quidem, ut sint Aula hujus objectum, ex quo mihi non modicum vanæ glorie subnatur, quia in eorum primo adventu illis serviendi mihi obvenerat felicitas, ac propterea, sicut & ob peculiarem devotionem eosdem magni astimo. Projectò, ut Reverendissima Vestra probè cognitum est, sine Religiosis idoneis Religiones in notitiam non veniunt, nec propagantur. Hac autem, ut spero, non exigua capiet incrementa, quia tot sunt, qui meum comitantur affectum. Unde cum Patres Hispani tantam sibi nominis existimationem pepererint, dubitare non licet, eos multas Fundationes consecuturos. Ad hunc autem finem obtainendum judico, ut Reverendissima Vestra aliquot huc submittat Religiosos; quos enim hic habemus, pauci sunt, & pro isto Conventu necessarii. Germani, quamvis juvenes, multæ tamen sunt expectationis. Qua de causa Vestram Reverendissimam etiam atque etiam obtestor, velit hoc negotium expendere, nosque consulari aliquos Patres submittendo doctrinâ & eruditione, ceterisque dotibus ornatos, quos his Sacrae suæ Religionis cœnobitis censuerit convenire, oroque, ut DEO meam commendet Familiam. Desidero, ut Dominus DEUS noster Vestram Reverendissimam Paternitatem in plurimos annos conservet. Vienna 31. Januarii 1696.

Bonaventura Comes Harrach.

Unus solum  
mittitur ex  
Hispania Re-  
ligiosus.

III. Ceterum expectationi & justis desideriis. Excellentissimi Comitis eventus minimè respondit; cum enim celeritate opus esset, & repentinus faciendus delectus, ne fortè tantæ Supplicationi, que imperii loco erat habenda, Noster Pater Generalis Minister nihil deferre videretur; unum solummodo Patrem in Germaniam allegavit, donec plures feligeret, quos opportuno tempore in eandem vineam mitteret operarios. Evidem hoc postea præstitit, sed parcè nimis & tardè, calva plerūque occasione. Hæc inter P. Maurus a Conceptione, quem anno superiore Commissarium Generale pro nostri Ordinis in Polonia cœnobitis creatum fuisse diximus, post paucos in Sarmatia exactos menses Magistratum abdicavit, & primo Vere hujus anni se Viennæ reddit spe missis fors uberioris, aut quia Imperatum ex Hispania subsidium tardius advenire videbat.

P. Maurus  
ex Polonia  
Viennam re-  
dit.

CA-

## C A P U T XIII.

1696.

*P. Josephus ab Angelis Commissarius Generalis  
& Viennensis nostri Cœnobii Minister periculoso morbo  
laborat; sanitati restitutus in Hispaniam tendit.  
Quædam ejus dotes referuntur.*

I. FRequenter morborum symptomata, priusquam in alia corporis membra descendant, caput infestant. Id usiuenire cernimus in omnibus ferè hujus mundi Rebuspublicis, cujus Moderatores dum animo non recte valent, haud procul a civibus periculum distat; inde sequuntur tot lugubres rerum vicissitudines, & publici statu convulsiones, qui nutante capite raro firmis pedibus consistit. Eodem tempore, quod res nostræ florere maximè videbantur, Primicerius noster P. Josephus ab Angelis molesto ac periculoso morbo impetus aliquot hebdomadis ingentes inter corporis cruciatus decubuit, a præstantissimis tamen Archiatris & Cæsaris Chyrурgo dexterrime, unaque feliciter restitutus pristinam sanitatem recuperavit. Hac infirmitate superata, magnum in eo exarsit patriæ repetendæ desiderium, ut proinde instantissimis preciibüs missionem apud Ordinis Majores urgere nunquam defierit, causatus regionis auram & frigidius cœli clima soœ saluti adversari. Impetravit tandem, quod tam ardenter flagitaverat, sed non sine maximo Ordinis nostri, in Germania tum primò veluti nati, incommodo, ne dicam detimento, cum eo tempore vel maximè tali opus esset Pastore, quod meliorem substituendum nemō sperabat; erat enim vir ille non solum generis nobilitate conspicuus, sed etiam religione, sapientia & doctrina vix alicui suo seculò secundus. Prælegerat olim magno omnium plausu Fratribus nostris Vallisoleti Philosophiam, ac deinde Salmanticae Theologiam. Utriusque facultatis speculationes integrè consecutus ita exhauserat, ut in qualibet materia, omnique eventu non minus apte, quam copiose differeret. Accidit aliquando, ut e Polonia redux Olomucium, celebre illud scientiarum Athenæum in Moravia, pertransiret; diversorum ibi natus est apud Virum principem ejusdem civitatis, & munificum Musarum Mæcenatem, cui non ita pridem Theses quædam Theologicæ nuncupatae fuerant. Accidit autem prorsus opportunè, ut Pater ea die Olomucium perveniret, quæ dictæ Theses certamine litterario ventilandæ erant. Officioso itaque ad hunc actum scholasticum invitatus fuit, rogatusque, ut, si quid ei adversus illas propositiones in mentem veniret, proponere non gravaretur. Paruit vir modestissimus, quod tamen potissimum fecit, quatenus benignissimi Mæcenatis hospitalitati gratam vicem rependeret. Lyceum itaque ingressus, postquam aliquot argumenta audivisset, cœpit tanta subtilitate, doctrina & eruditione disputare, ut Magistros universos & discipulos in magnam admirationem rapuerit, fasique sint non semel (idque paulò postquam hoc accidisset, cum in congressum eorum

Morbi pauci  
caput infestat.P. Josephus  
graviter agro-  
tat.Sancti re-  
stitutus in Pa-  
triæ redire  
cupid & obsti-  
net.

Eius dotes.

Olomueci re-  
pente invita-  
tus promptè  
& cum laude  
disputat in  
Universitate.

1696.

fortuitò venissem , qui huic certamini litterario interfuerant) se haecenüs ei similem nunquam audivisse , addebantque , sibi visum fuisse , ac si quondam e numero veterum Sanctorum Patrum in- tuerentur , & coram disputantem audirent . Universitatem quo- que Viennensem sœpius ad amicorum preces scholaisticis concer- tationibüs honoravit , quas Doctissimorum Virorum applausus semper excepit . Hic ei crebriùs ultrò delata fuit Doctoris Lau- rea nullis ejus sumptibüs capessenda , idque suadebant amici , & importunis precibüs urgebant , ut tantum decus huic Universita- ti affererent ; quibus tamen ipse minimè acquievit , sed modestissi- mis verbis oblatum honorem constanter repudiavit , sanctissi- mas Ordinis sui Leges opponens , ad quarum prævaricationem nulla ratione induci potuit Vir religiosissimus . Corpus illi fuit obesulum quidem , solidum tamen , atque vividum & venerandam præferens pulchritudinis Majestatem , ut in pulchro corpore pulcherrima mens diversari haud obscurè notaretur . Magnis qui- buscunque rebus agendis simul & perficiendis idoneus & expedi- tus : affabilis erga omnes , facundus , promptus , benignus , in cunctis prudens & circumspectus , perspicax circa cetera , singu- laris fuit ei quoque in verbis gratia , & in gestu modestia .

*Doctores in-  
signis Viennae  
delata non  
adgredi.*

*Statuta ejus  
atque dotes  
religiose.*

*Nostris Pri-  
ncipibus gen-  
tibus.*

*Fus ab illis  
ministris con-  
futatus Ordinis  
propagandæ.*

*Mediolani de  
Alexand. in  
deponit.*

II. Has ob eximias tum naturæ , tum gratiæ dotes , præstan- tiāmque ingenii LEOPOLDO Cefari apprimè notus , eidēmque in pretio fuit , nec non Serenissimis Filiis JOSEPHO Regi & CA- ROLO Archi-Duci in veneratione versabatur , ut hæc est Austria- cis Principibus erga bonos & pios innata clementia . Apud alios Proceres & Aulæ Optimates singulari pollebat gratiâ & Autoritate , cujus imago non sinè jucunda tanti viri recordatione omnium mentibus obversatur , quibus felicitas obtigit ejus consuetudine familiariūs perfruendi . Adeò denique sibi hominum corda devin- xerat , ut memoria ejus plurium annorum intervallò obliterari nequiverit . Profectò si , ut communi sermone jaçtatur : *Princi- bus placuisse viris non ultima laus est* , hanc ipse non sinè multorum invidia cum majore nominis sui gloria consecutus est .

III. Intempestivum verò discessumabiturienti dissuadere con- tust est Augustissimus Imperator LEOPOLDUS disertis verbis contestans , *eum* hac sua præmatura demigratione Ordini grande damnum accerfiturum , cujus ipsum aliquando frustra pœnitudo esset subitura . Ex Apollinis tripode hæc verba processisse videri poterant ; adeò sagaciter Prudentissimus Imperator futuros even- tus præfigierat . Id ipsum suadebant , & inculcabant omnes ejus amici , quibus unicè in votis erat tanti viri præsentiam diutiùs re- tinere . Ast surdo fabula cantabatur ; ipse enim animum suum in abeundi proposito tantoperè obstinaverat , ut etiam reclama- tibus plurimis in Augusto Viennæ excesserit . In cujus lo- cum alter P. Josephus a Matre DEI successit , qui Patakinô evoca- tus Commissarii Generalis & Ministri Viennensis munus aliquan- diu sustinuit .

IV. Dictus autem P. Josephus ab Angelis in Italiam perrexit , ibidēmque Mediolanum & vicinam Alexandriam adivit , ut quæ- trans-

transunter novas in Lombardia Ordinis colonias jussu nostri P. Ministri Generalis Iustraret, recognosceret, ac minutum omnia in Hispaniam perscriberet. Romam inde delatus subsistere pauper decreverat, urbis amplitudine, Templorum magnificentia, Sanctorumque memoriis & copia, ut arbitror, illectus; sed non multò post supervenientibus novis mandatis in Hispaniam avocatus, summo ibi honore excultus fuit, utpotè, qui in proximo Generali Patrum Conventu Salmanticensis Minister renunciatus, & posteà suæ Provinciæ (quæ ab Immaculata Beata Virginis Conceptione titulum obtinet) Præfeturam consecutus est, gessitque præterea una alteraque vice munus Definitoris Generalis. Reliquam vitam suam calamo deyovit, Generalis Ordinis Chronographus effectus, in quo ille officio, quod muneris ratio postulabat, patrio stilo in uno volumine expressit vitam & res gestas P. Josephi a S. Maria, qui communis fama nuncupabatur *Sancius Minister Vallisoletanus*. Hoc autem opus ejus inter manuscriptos codices etiam num delitescit.

V. Non tamen propterea, quod finè compassionis sensu referre nequeo, calamitates illas effugere potuit, quas ei amici ipsius dudum vaticinati fuerant; suborta namque lugubri illa Regnum in Hispania convulsione, quâ duo potentissimi Reges de legitimo Imperio armis inter se disceptabant, ipse, cum suæ Provinciæ singulari omnium solatio & utilitate præcesset, variis imprimis suspicionibus & æmulorum dicteris impeditus, tandem alterius factionis odio increcente militari manu comprehensus, & cum duobus aliis nostri Ordinis Religiosis Pamplonæ absque ulla culpa sua in teturum carcerem compactus fuit, ubi præter plurima militum ludibria, innumeræ alias miserias & frequentissimas mortis minas invictâ patientiâ & excelsô prorsus animo pertulit. Causas tanquam satis ubique notas sciens volensque silentio prætero. Istud duntaxat dico: si culpa quæritur, alia illi imputari non potuit, quam quod Germaniam deseruerit, & Hispaniam adiverit importuno prorsus tempore præcedente, & pejore posteà succedente. Ob id etiam, redditum nempe suum, in questionem vocatus vir cæteroquin vitæ integerimæ, & ab omni crimine immunis; qualis demum post longam in squalido ergastulo macerationem agnitus & absolutus fuit. Verum jam ad alios ex instituto nostro properamus captivos, & alia ex causa incarceratedatos.

## C A P U T XIV.

### *Quarta Redemptio Belgradi multis superatis difficultibus ad finem deducitur.*

I. **P**ETRO-Varadini P. Redemptor a principio mensis Januarii nullum non movit lapidem, ut a Turca Belgradensi Gubernatore, qui priori in officio subrogatus fuerat, publicæ fidei litteras extunderet, quarum præsidio Belgradum tutò adire, &

H h h

Difficile Redemptoris negotium ad Belgradum.

ibi-

Romam re-  
nit

Manera in  
Hispania.

Ob regni vi-  
cissitudines  
carceres susti-  
nes.

1696. ibidem tum de mancipiorum permutations, tum de aliquotum Christianorum lytro coram transfigere liceret. Sed actum agere vi-  
sus est; & ut fertur proverbio, Aethiopem lavare, apud hominem  
egregie barbarum, juxtaque suspiciosum. Belgradum tamen affi-  
duè mittebantur, remittebanturque nuncii. Verum tota hæc  
tractandi ratio nî nisi iurgia & altercationes parturivit. Illud ve-  
rò P. Redemptori molestissimum fuit, quod ad alias Ottomanici  
Imperii provincias divertere non posset, quia Turcica mancipia,  
quæ secum adduxerat, ut plurimum e tractu Belgradensi  
erant oriunda, atque adeò alibi eorum permutatio exiguum com-  
modum allatura videbatur, ut proinde præsens negotiatio non si-  
nè magno temporis dispendio, ac perpetuâ litterarum & tabellario-  
rum missatione peragenda fuerit. Mittebantur quidem subinde  
ad P. Redemptorem emendi captivi, sed pretiò tam enormi, ut  
necessè fuerit, eos re infecta e vestigio remittere; captivis enim,  
quibus id maximè in votis erat, ut quam celerrimè ab impotenti  
tyrannide crudelissimorum hominum liberarentur, imprudenter  
spondebant, P. Redemptorem pro eorum libertate grande lytrum  
gratanter persoluturum, sed cum iste nollet eos tanti emere, nec  
Turcae de pretio quidquam minuere vellent; hinc Turcarum ch-  
mores & lamenta captivorum libertatem suspirantium confuse au-  
diebantur, ad quæ non sîne magno tamen cordis dolore aures fue-  
rant obdurandæ, ne inconsultè lytrum prodigeretur, & pretium,  
quod tribus aut quatuor captivis redimendis sufficeret, pro unius  
forte redemptione profunderetur. Ad heros itaque suos constan-  
ter sunt remissi, donec in pretium justum descendissent.

*Posto*  
*anno alterve*  
*redimitur.*

II. Intellecta proinde Patris mente remissi captivi heris suis  
renunciaverunt, P. Redemptorem justò pretiò velle convenire, in-  
justum perinde aversari, ac immodicam eorum avaritiam: his  
novæ ex moris subortæ sunt mœræ & comperendinationes, utra-  
que parte in sua opinione obfirmata, cùmque nullus alteri cedere  
fussineret, tempus inutiliter terebatur, & tedium frustationib[us]  
Redemptionis negotium sèpiùs suspendebatur, donec tandem  
unus, alterve captivorum glaciem fregisset, qui pretiò sati mode-  
ratò in libertatem asserti fuerunt. Universim tamen magna opus  
erat concatione ad emolliendam Turcarum pervicaciam.

*Pro 15. Turcis*  
*3. Christiani*  
*permittantur.*

III. Non minori disceptatione res agebatur de permutations  
captivorum; Turcae siquidem tria, aut quatuor suis Nationis man-  
cipia unicò solum captivò Christianò licitabantur, tantique facie-  
bant unum Christianum, ut eum tribus, quatuorve Turcis equi  
pararent, atque inde ostenderent, quam vilia censerent gentis sue  
capita. Ex adverso autem P. Redemptor tota mentis contentio  
ne in id incubuit, ut singuli Christiani pro singulis Turcis permu-  
tarentur: Sed Hylam inclamavit, ut potè, qui post diuturnas ver-  
bivitationes agrè tandem impetravit, ut pro quindecim illis Tur-  
cis octo manumitterentur Christiani. Tandem post longam alte-  
cationem, quinque & quadraginta Christiani redempti fuerunt.  
Horum quinque solum erant Austriaci (plures enim hujus  
Natio-

*In omniis*  
*expeditis*  
*dimissa.*

Nationis, quidquid Pater conniteretur, obtinere non poterat) Hungari tredecim, cæteri verò e diversis Germania Provinciis oriundi.

1696.

IV. Reliquum erat, ut, quod P. Redemptor ab Eminentissimo Cardinali Kolloniczio, & Consilio Bellico in mandatis habebat, catalogus texeretur omnium Christianorum captivorum in Belgradensi territorio existentium, quemadmodum superius insinuavimus. Verum procul absuit, ut hac in re mos ei gereretur, cùm panicus timor ex inani suspicione ortus multos jam pervasisset, atque adeò nemo præsumeret captivorum calculum inire; interpretabantur enim meticulosi Turcæ, Christianos hac arte eorum facultates scrutari, & res domesticas velle explorare, cùm eorum divitiae præfertim consistant in mancipijs Christianis, & ille censeatur locupletior, qui plura possidet mancipia; quorum opera pecuariam & agriculturam exercent, gens ipsa, si militiam demas, otio supra modum dedit; captivos autem tenui viisque vietu, & nullis ferè sumptibus alunt, ac sibi lucrosis laboribus premunt. Ideoque nihil prorsus hac in re perfici potuit.

*Cur captivis  
jam Indicem  
non potueris  
consequi.*

V. Mense Mayo Redemptionis negotiò ad finem jam vergente, postquam P. Redemptor quinque mensium intervallò innumera devorasset tædia, sustinuissest incommodates & ærumnas, Frater socius ardente febri correptus in discrimen venit importuno prorsus tempore: fuit hoc perinde, ac quod communi fertur adagiò: *Inter casa & porrecta aliquid oneris addere.* Verum id etiam DEO disponente P. Redemptori pro exercitatione patientie & meritorum augmento evenisse putandum est. Paucis diebus F. Ildephon-sus socius febris malignitate per momenta crescente ad extrema pervenisse videbatur, adeò, ut susceptis Ecclesiæ Sacramentis, quæ moribundis conferri solent, muniri debuerit. Non est facili dictu, quantoperè Patris animum inopinata hæc socii calamitas affixerit; ea sanè tam gravis illi accidit, ut priorum miseriarij penitus obliteretur, sensu toto præsentis mali imagine absorpto. Humanò itaque consiliò destitutus ad preces confugit, quo asyli genere se semper contra novercantis fortune assultus tueri consueverat. Clementissimus autem DEUS, ut Rex Prophetarum loquitur: *Mortificat & vivificat, dedit ad inferos & reducit.* Vel, ut ipse P. Redemptor in suis ad hanc Redemptionem notis scriptum reliquit: *Minatur ut justus Iudeo, indulget ut piissimus Pater,* Fratrem socium graviter ægrotantem brevi temporis intercedente pristinæ sanitati restituit; quod penè prodigium videbatur iis, qui paucis diebus antè illum cum morte luctantem conspexerant.

*Fr. Socia  
ægrotat.*

*1. Reg. cap. 2.  
2. 6.*

*Sanctam misericordiam restituit.*

*Viennam re-  
vertuntur.*

VI. Gratiis pro tanto beneficio Salvatori Nomi persolutis alacriter cum Redemptorum hominum manipulo Viennam repe-tierunt; quamvis in via, ubi nunquam absunt, non pauca ipsis incomoda exantlanda occurserint, quæ tamen omnia auxiliante Numine feliciter superaverunt. Igitur III. Nonas Julii in festa luce S. Barnabæ Apostoli e nostro Viennenii cœnobio ritu suppli-cantium longo, decentique ordine ad persolvendas Sanctissimæ TRINITATI gratiarum actiones, ducta est processio, quæ cùm

*Processio  
ordo & uero  
norma.*

1696.

in quibusdam circumstantiis diversum quid a prioribus habuerit, ut in rerum principiis fieri consuevit, ubi pro cuiusvis arbitratu res in varias formas singuntur, donec successu temporis constantior norma stabiliatur, paucis referre necessarium duxi. Praecedebat elata cruce puerorum & puellarum innocens turba, que in honorem Sanctissimae TRINITATIS dulcissima carmina modulando spectatores universos tenerimo quodam devotionis affectu imbuebat; parvulorum agmen sequebatur P. Redemptor labarum Redemptionis portans: post hunc gradiebantur redemptie mulieres proles suas in ulnis gestantes, viri demum redempti omnes alta voce alternatim Beatissimae Virginis DEIPARÆ. Matris Redemptoris, laudes e precatoriis globulis (Rosarium vocant) per solventes. Hos excipiebat cœtus Religiosorum nostrorum, qui triginta erant numero, & notissimum ac devotum JESU NAZARENII simulacrum super pegma lucentibus cereis decenter ornatum in suorum medio humeris bajulabant. Agmen clausit devota utriusque sexus multitudo. Hoc ordine precipuas urbis plateas transeuntes, postquam ad Colossum Sanctissimæ TRINITATIS in foro herbario pervenissent, omnes simul substiterant, ubi tunus P. Isidorus a Visitatione noster ad circumfusam, spectaculi causa, populi multitudinem magna cunctorum Auditorum approbatione elegantem patrio idiomate dixit orationem. Demum Hymnus Augustino-Ambrosianus ibidem inter exquisitos phonasorum modulos fuit decantatus, consuetisque precibus absolutus. Deinde nubibus obducto æthere densa pluvia ex alto decidit, ac si ipsum cœlum piis fidelium devotionis sensu aliquatas lacrymas imitari voluisset: unde tota processio, eodem, quo venerat, ordine in Cathedralem S. Stephani Proto-Martyris Basilicam, indè non longè distantem se ad modicum tempus recepit, donec aëri nativa sua serenitas redivisset, qua succedente omnes tandem in forma supplicationis ad nostrum cœnobium remearentur.

*Quidam ha-  
modesti con-  
temnuntur.*

*Regi Romanis  
nomina dedi-  
cerunt.*

VII. Hos inter redemptos septem fuere Lutheri, plures autem Calvini dogmatibus a puerō innutriti, qui hoc insigni charitatis opere commoti, & illustrati Salvificam CHRISTI veritatem maturius examinantes, fidem quoque Catholicam sunt amplexi; tres reliqui signa dederunt proximæ conversionis. Omnes tandem non contempnenda stipe in viaticum donati parentes & amicos revisuri, in patriam suam discesserunt. Nomina captivorum, & Turcarum servitute hac occasione liberatorum, inscripta sunt Serenissimo JOSEPHO I. Romanorum & Hungarorum Regi, eique pro hostimento nostræ gratitudinis oblata. Et sic quarta hec Redemptio ad Sanctissimæ ac Individuæ TRINITATIS gloriam & honorem optato fine coronata fuit.

## CAPUT XV.

### *Varia memorabilia hujus anni sexti & nonagesimi.*

I. **S**picilegium reliquorum hujus anni memorabilium eventuum initio primò occurrit structura nostre Ecclesie Viennensis, que cum ob subSIDiorum defecatum lentiùs aliunde procederet,

*Imperialis  
pro consilio  
Vienna pati-  
tur, & non  
vulnus admissi-  
tur.*

*super-*

superveniente posteà graviore necessitate penitus ad tempus intermissa fuit; nonnulli enim e seculo melioris notæ adolescentes, dum Ordinis Institutum afflante DEO complecti discuperent, illis autem recipiendis numerus cellarum non sufficeret, eminentior ædificii pars, quæ haðenus solum in magistralibus muris ruditer consistebat, ampliandæ communi habitationi adaptata fuit, quatenus tyrones, quam primum fieri posset, commoda haberent domicilia, in quibus spiritualis vitæ rudimenta condiscerent. Atque hòc pastò veterani Patres futuræ Ordinis successioni satis prospectum esse rebantur.

1696.

II. Ibidem memoratò anno Liber, Ecclesiasticos Ordinis titus in se continens, qui a nostris usitatò vocabulò *Manuale* dicitur, postquam ex Hispano in latinum idioma translatus fuisset, tandem typothetarum opera in lucem prodivit. Codex quoque, qui *Officia propria Festivitatum & Sanctorum Ordinis nostri complectitur*, eòdem hòc anno typis Aghelianis excusus fuit, ut multiplicatis horum librorum exemplis multitudini fratrum quot annis magis accrescenti consuleretur.

Ordinis Ma-  
nuale & offi-  
cia propria ty-  
pis mandan-  
tur.

III. Inter anni hujus infausta sequens eventus jure sibi locum postulat. Illavie temerè quispiam Ordinis tyrocinio se adjunxit, corvus inter columbas, vestem, non vitam mutaverat dyscokus & refractarius; nullis amicorum precibüs, contubernialium exemplis, nec Superiorum piis monitis ad meliorem frugem reduci potuit, senioris disciplinæ impatiens. Excuso tandem non post multis dies suavi CHRISTI jugo ad priorem redivit vitæ licentiam, & contemptis salutaribus consiliis scelera sceleribus auxit. Nec tamen diu vindicem Divinæ Nemesis manum effugit, sed paulò post in atrocibus flagitiis comprehensus, justò DEI, hominumque judiciò, ut poenas criminibus commensas lueret, ad mortem damnatus, & ultimò affectus suppliciò, corvis in escam cessit; siisque in ipso juventutis flore, vix annos viginti natus. Nec novum hoc quis mirabitur, nisi qui hospes sit in Historiis; docuit enim frequens experientia, vocationem etiam qualemcumque temerè deseruisse, raro bonum finem habuisse.

Vocationem  
deserentis  
supplicium.

IV. Item apud Illavienses eòdem anno recenter professis fratribus Collegium Philosophiae instituitur: Præses verò hujus Cœnobii P. Josephus a Sanctissimo Sacramento, qui a limine foundationis singulatè religiosæ conversationis exemplo præfecturam gesserat, cùm subesse potius, quam præesse cuperet, quæ erat insignis hujus viri humilitas, missionem flagitavit, quam tandem post iteratas preces ab Ordinis Majoribus extorsit potius, quam imperavit, in cuius locum successit alter P. Josephus a JESU Maria, qui Viennæ tyronum Magistrum haðenus egerat; hic cùm ad suos Illavienses Fratres plenas paterni amoris litteras præmisisset, in principio mensis Novembris Collegii regimen est auspicatus. Has inter blandientis, interdum autem levientis fortunæ vicissitudines præsens annus seculi sextus & nonagesimus ad finem decurrit.

Qui deserit  
vocationem  
rarè bonum  
finem conse-  
quitur.

Illavie Phi-  
losophia præ-  
legitur.

Collegii Pra-  
ses annus resi-  
gnat, alter  
succedit.

1697.

## C A P U T XVI.

*Augustissima Domus Austriaca Viennæ Albo Confratrum nostri Sacri Ordinis adscribitur.*

Nostræ Confraternitati  
adscribuntur  
Augustissimæ  
Majestates.

I. Insequitur annus CHRISTI millesimus sexcentesimus nonagesimus septimus, in cuius exordio sub hybernis frigoribus, quæ hōc anno vehementius inhorruerant, & diutiū asperitatem suam protraxerant, calor tamen pietatis in cordibus fidelium magis etiam exarsit, & inter frequentia domi consilia non vacabant fortis nostri a negotiorum studiis. Accessit autem in ipso hujus anni ferè vestibulo insigne decus Ordini nostro, Augusta nimirum nomina Augustissimæ Domus Austriacæ, syllabo confratrum Ordinis nostri addita; LEOPOLDUS siquidem I. Gloriosissimæ Memoriae Romanorum Imperator nativa propensione in omnem pietatem pronus, quæ ei non minus agnomentum PII, quam gestorum præstantia MAGNI peperit, ut Sanctissimæ TRINITATIS favoribus largius perfunderetur, Ordinis Trinitarii Confrater effici voluit. Nec privata sua erga hoc Divinissimum Mysterium devotione contentus, totam Augustissimam Domum, Stirpemque Suam ad id consilium suscipiendum permovit, quatenus TRIUNIUS DEITATIS Majestas, cujus se humilem servum alibi in publico urbis loco scriperat, consona Austriacæ Familiæ religione amplius, uberiisque glorificaretur. Hōc igitur anno die XXIV. mensis Februarii, quæ primam Quadragesimalis jejuniū Dominicam Ecclesiæ induxerat, Augustissimus Imperator Augustissimæ Dexteræ Nomen suum cum Tessera magno Confraternitatis nostræ Libro inscripsit; quam pietatem omnes, qui sub idem tempus ex Augustissima Stirpe & Progenie aderant, secuti sunt, ut videre licet in peculiaribus ejusdem Libri foliis sequenti forma.

Consiliō & Industriâ.

LEOPOLDUS.

Fortunante DEO.

ELEONORA MAGDALENA THERESIA.

Amore & Timore.

JOSEPHUS.

Patrum Virtute.

CAROLUS.

Pietate & Charitate.

MARIA ELISABETHA.

MARIA JOSEPHA ARCHI-DUX AUSTRIA.

MARIA MAGDALENA ARCHI-DUX AUSTRIA.

MARIA ANNA ARCHI-DUX AUSTRIA.

II. Hæc Magna Nomina in uno eodemque dicti Libri folio, elegantibus picturis & Cæsareis Insignibus ornato exarata conspiquantur: in alio verò folio variis similiter picturis conspicuo patribus pietatis ardore nomina sua scripserunt alii Augustæ hujus Stirpis Surculi, & imprimis quidem Serenissima D: ELEONORA Imperatoris LEOPOLDI I. Soror, Regina Poloniarum, & eo tempore Serenissimi CAROLI V. Dux Lotharingiae Vidua, ejusdemque Serenissimi Filii in hunc modum:

1697.

Inscribunt se  
& ceteri Princ-  
ipes, qui ade-  
rant.

**In DEO Solatium.**  
**ELEONORA.**

**DEO Duce, Virtute Comite.**  
**JOSEPHUS LOTHARINGIAE PRINCEPS.**

**FRANCISCUS LOTHARINGIAE PRINCEPS.**  
**LEOPOLDUS Dux LOTHARINGIAE.**  
**CAROLUS Dux LOTHARINGIAE.**

Eandem pietatem ad hæc usque tempora nihil remissò devotionis studiò Augustissima hæc prosapia retinet.

III. Porrò candidum illud tegmen bicolore Ordinis cruce insigatum, quod scapulare vulgo nominant, tanquam genuinam & vetustissimam Tesseram Trinitariæ Confraternitatis Augustissimis Majestatibus, atque Serenissimis Confratribus, Sororibusque P. Joannes a Cruce noster singulari sane felicitate consuetis ritibus imposuit. Fortuna hæc fuit, & gratia cui similis nemini ad illa usque tempora Religiosorum nostrorum obtigit, cum nullus antea ipsum gloriari potuerit, se hujusmodi officium Imperatori Romanorum exhibuisse; quâ gloriâ certè nulla major in terris Ordini potuit conciliari. Ex eo tempore statis illis quinque per annum diebus, in quibus pro recepta Ordinis antiqua consuetudine, atque Sedis Apostolicæ privilegio *Absolutio Generalis Sacrae Religionis nostræ Confratribus impeditur*, nostri Cæsaream Aulam accedunt, & inter solemnes comprecationes Augustissimas Majestates, Serenissimos Principes & Archi-Duces tanquam Confratres & Sorores Ordinis nostri omnium bonorum operum, Sacrificiorum, spirituallium exercitationum, laborum etiam pro redimendis captivis susceptorum, aliquantumque rectè factorum & meritorum, quæ per DEI gratiam in Ordine nostro fiunt, juxta Privilegiorum Apostolicorum tenorem, ac Sanctæ Sedis Apostolicæ dispositionem participes efficiant ad Sanctissimæ TRINITATIS honorem & gloriam.

Imponitur  
Scapulare te-  
gimen.

Absolutio  
Generalis im-  
petuit.

## C A P U T XVII.

*Illaviensis nostri Collegii visitatio, loci ejusdem in-  
commodis consulitur. In conflagrationis ibidem  
periculo mira DEI Protectio.*

I. Neunte Vere, cum hybernum tempus rigorem suum jam remisisset, & Cœlum mitiori aëre nostrum hemisphærium

Illavienſis  
Collegii vi-  
satio.

1697.

exhilarasset, P. Josephus a Matre DEI Commissarius Generalis, & Viennensis nostri cœnobii Minister Collegium Illavense secundum Ordinis statuta visitare decrevit, quod cum exeunte Aprili pervenisset, ut spirituali fratrum suorum profectui consuleret, singulos cœnobitas singillatim accersit, ut eorum candida relatione disceret, quid in hoc loco corrigendum, quidve stabiliendum foret. Comperita vero eorundem religione, ac pietate impensè illos est cohortatus, ut in via salutis constanter persisterent, & ad perfectiora se extenderent in omni virtutum genere magis etiam se exercearent, sermone ad hunc finem usus efficace, prout ad cœjusvis genii aut virium diversitatem opus fuit. Domesticis deinde negotiis in discussionem adductis reperit praeter alias plures molestias, quæ regularis vitæ disciplinæ incommodabant, summam loci difficultatem; illa namque habitatio, quam religiosi incolebant, temporaria solum fuerat, videlicet usque dum alio in loco monasterium construeretur. Stabat in vicinia vetus castrum ob ruinas, squalorem & situm adeò deforme, ut reputaretur prosus inhabitabile, foricum, glirium & vespertilionum tutum receptaculum, quod ingredientibus movebat horrorem, insuper & nocturnis lemorum ac spectrogum tumultibus infame passim rebatur. Cæterum quia locus intra oppidum struendo monasterio aptus nullibi reperiebatur, putabant aliqui, ædificium cœnobii in proximam camporum planitiem esse transferendum; sed & hic quoque absterrebant pericula graffatorum, quibus locus ab oppido parum remotior expositus manebat, atque adeò vel solo situ rapaces latronum manus ad opulentam prædam invitabat. Acuebat timorem, quod sub idem tempus collectitia perditorum hominum turba cum suo duce diceretur inter nemorum recessus latitare, viatores tensis infidiis aggredi & spoliare, plerosque interimere, per omnem viciniam in ditionum ædes graffari, parœcias nocturno tempore effraetis postibüs perrumpere, & ærufandi causâ homines exquisitis tormentis subjicere. Quid autem de hoc solitario conventu fieret? si populus in seditionem concitaretur? si tumultus & bella orirentur? quæ mala in hac regione non sunt infrequentia; quod etiam clanculum per ora hominum circumferebatur, & quemadmodum flamma non procul abest a fumo, ita post paucos annos hunc rumorem subsecuta sunt prælia, plurimumque cædes: igitur nunc eligendum esse, quod fuisset prævidendum. Tot difficultatum involucris præsentis questionis status erat circumseptus.

*Insuperabiles  
aliæ loci  
difficultates.*

II. Curâ deinde ad Religiosorum habitationem conversâ, P. Visitator, cum singulos domus angulos perlustrasset, suismet oculis vidit ingentes ærumnas, quibus singuli in hoc male materiato domicilio conflictabantur. Satis autem agnoscebat, fieri non posse, ut eas sinè aperto sanitatis detrimento, imò & vita discrimine diutius toleraremus; siquidem Ordini cognata paupertas, aliæque austeritates malum angebant, & hyberno presentim tempore exitium nobis intentabant. Nam præter extimos parietes cæters tigris, tabulisque compacta vetustate & carie fatiscebant, frigoribus undi-

1697.

ondique pervia sic, ut quandoque noctu lumen in mensulis ventorum afflato extingueretur. Quocunque se quis verteret, praeter alias perpetuas incommoditates exiguum aut nullum reperiebat adversus gelu munimen. Quamvis enim P. Praeses lignum afflatum suppeditaret, totaque die continuè fornax arderet, & sepe ad instar candardis ferri exardesceret, frigus tamen juxta parietes predominabatur, & fenestræ die nocturnaque glacie obductæ rigeabant. Obsonium e foco in triclinium patellis delatum, subito calorem remisit, potus inter edendum vertebatur in glaciem, cuius crustas dentibus comminuentes (dictu mirabile) potum masticare, ac mandere potius, quam bibere videbamur. Vix dici, minis autem credi potest, quantas calamitates aliquot mensum decursu habitantes ibi pauperes CHRISTI invicto animo pertulerint. Norunt, qui etiamnum inter vivos agunt, & miseras illas coram intuiti fuerunt, me nihil per exaggerationem scripsisse, & fortassis parcis, quam ærumnarum magnitudo postulabat, ejus loci difficultates enarrasse.

III. Ceterum licet nobis omnia adeò angusta & incommoda essent, nihil tamen de consueto Collegiorum rigore remittebatur, aut ratione quavis indulgebatur: tertia post medium noctem horâ, cum vix quatuor vel ad summum quinque horis corpus necessariò somnò refocillasset, de strato surgere, & codicibus incumbere adgebantur omnes, nulla proficiente tenelle juventutis, aut diurni laboris excusatione. Divina solùm gratia & Clementissime protectioni Numinis tribuitur, quod in tanta vitae austerritate nemo nostrum occubuerit, quinimo neque graviter decubuerit, sani omnes, etsi vultu non nihil palloris præferrent, constantes permanerant, parati plures pro DEO & sacra Religione labores & ærumnas tolerare. Nemo molliter ingemuit, nemo ad sœculi illecebras respexit, nemo in decurrendo virtutis stadio segnior evasit, tam magnò carnis edemandæ desiderio omnes æstuabant, DEO vires coelesti munere mirabiliter suppeditante, qui athletas suos tantò copiosius supernis confirmavit deliciis, quanto magis illos evalserat a terrenis commoditatibus.

IV. Et sanè prodigo similis fuit aliquo in casu luculenta Superum tutela, ut nunc narrare aggredior. Kalendis Februarii, in ipso pervigilio festi *Candelarum*, sive DEIPARÆ Virginis Purificatæ ex fratribus quidam vitam activam professus eadem noctis horâ, quam ceteri Religiosi lectulos somni causâ petebant, grandius concclave, Collegarum habitationi proximum, quod viride antiquitus nominabatur, pertransire necesse habuit. Servabantur ibidem prius alia utensilia candelæ, quibus adhærebat arcula, in quam reponebantur defluvia candelarum, quæ hic de sebo, seu boum pinguedine plasmantur. Ex hac arcula dictus frater minutam candelæ particulam deponens, ut eâ accensâ lucem haberet, ne alicubi in tenebris impingeret. Negotiò absolutò, dum in redditu idem conclave perambulat, oris flatu lumen restinguunt, & candelæ reliquum in eandem arculam, ubi sebum collectum erat, proicit, ac deinde frigoris acrimonia victus festinanter in suam

Regularis ob-  
servantia in  
pleno rigore.Manifesta  
Numinis pro-  
tectionis refec-  
tur.

K k k cel-

1697.

cellam contendit. Sed dum candelam, quam extinctam putabat, inconsultè projicit, in ipso jaëtu lychnus, etiamnum scintillans, a motu & ambiente aëre, quasi anhelitu adjutus, pristinum ignem concepit, & flammula resuscitata fuit, fratre id minimè advertente. Ceteri quiescebant jam omnes absque ulla finitri alicujus eventus suspicione, vel cura. Nec mora: ignis in sebo alimentum natus protinus vim suam exercere, & in ipsam ligneam capsum, tanquam aptissimum incendii pabulum grassari. Comburitur itaque arcula, vicinæ verò candele, quæ in usum longi temporis denso ordine ibi asservabantur, flammæ calore liquecunt, & defluunt. In cineres redacta arcula (quæ plùs damni dedisset, nisi propitiâ fortunâ in muro stetisset) ligneum tamen tabulatum, olim pro musicis ad exhilarandos convivas constructum, quod supra combustam arculam prominebat, intactum permanet, nisi quòd fumus atra fuligine illud undique obduxerit. Carbones tamen exustæ arcule in pavimentum ligneum delapti haud pauci plus damni & periculi creaverunt; pavimentum enim candelierum pinguedine largè perfusum ignem facile concepit, flammisque circumfusum sebum avidè lambentibus, totum conflagravit. Huic subjecti erant lignei gradus, qui viam ad equile forinsecus pandebant. Ad hos quoque flammæ deciderant & carbones; sed, quod mireris, inter fœnum & stramen, gradibus instratum, ardentes adhuc manè carbones innoxii substiterunt; sopore nocturno Religiosis ex diurna lassitudine ita oppressis, ut nemo eorum fumi nido expergisceretur, aut immane periculum adverteret. Ante auroram, dum fratres horâ confuetâ a somno excitantur, fortuitò contigit, ut quidam ex nostris idem conclave pertransire vellet. Lucebant adhuc in tenebris ad terrorem ardentes carbones & pavimenti exustum foramen figurâ sphericâ hiabat, scintillæ vero super inferiores gradus ligneos ad equile inter fœnum & stramen jacabant indemnes. Ad ignis periculum Religiosus ille attonitus in amphoris allatâ aquâ restantes carbones extinxit, atque hac ratione ulteriori periculo obicem posuit. Misericordia Domini fuit, quòd ea nocte non omnia conflagraverint, aut gravius nullum damnum acciderit. Profectò ex tot periculorum indicis, que sub ortu diei clarius conspeximus, si unquam alias Divini Numinis, Diviæque Virginis DEIPARÆ protectio patuit, quæ quidem in hoc Mariæ Solemnitatis pervigilio tantò evidenter respenderbat, quanto testius erat discriminem. Laudes sint Altissimo DEO Protectori nostro debitâque pro tutelâ beneficio gratiarum agio.

## C A P U T XVIII.

*Dum agitur de Illaviensis cœnobii in alium locum  
sive civitatem translatione, mirabiliter succedit ve-  
ris ibidem castri Donatio. Cœnوبium construi cœ-  
ptum suberto tumultu interturbatur.*

*Confita de  
transferenda  
Illaviensis  
caenobio.*

L. *Igitur cum P. Commissarius Generalis solicitudinum ponde-  
re pressus in varias abiret cogitationes, qua ratione, aut mo-*

1697.

modo tot malis opportunè mederetur, statuit aliorum consilia, ut securius in hoc perplexo negotio procederet, singillatim exquirere. Atque in hunc finem P. Præsidem Illavensis Collegii secum Viennam adduxit, ad quem, velut immediatum Superiorē, de jure pertinebat quæstionem proponere, ac statum rei edocere. Coacto Patrum, ad hanc causam decidendam peculiariter electorum, conciliò istud præcipue in deliberationem venit, an Illavensis Fundatio propter multas loci & sitūs difficultates, ac deinceps complura emersura incommoda Posonium Hungariæ civitatem effet transferenda? Id suadebat imprimis locorum propinquitas, cum Vienna Posoniō vix unius diei itinere dispescatur. Accedebat ad statumen hujus opinionis Posonii nobilitas, tanquam Urbis Liberæ Regieque, populō refertæ, Tribunalibūs, Magistratibūs, aliisque plurimis titulis inclytæ, ut proinde omnes ferè in hanc sententiam manibūs, ut ajunt, pedibusque concesserint. Unus dun taxat repertus est, qui contrariæ opinionis patrocinium suscep ret. Hic itaque multis rationibūs persuadere conatus est, Conventum Illaviā non esse dimovendum, cum Posonii fundatio novi co nobii haud difficulter impetrari queat. Hujus licet clara effet au toritas, unus solum ei adhæsit, sub hac tamen conditione, si alterius Conventūs Posonii certior spes affulgeret. Reliqui, quod crederent, difficilius esse fundationem in hac urbe impetrare, quam ejus spe se lactare, in priore sensu suo perstiterunt. Veruntamen cum decretoria hujuscemodi negotiorum resolutio secundūm Ordinis constitutiones ad nostrum Generale Definitorium de jure per tineat, eò scripserunt, longaque epistolā rationes in utramque partem accurate exposuerunt, ut Patres Definidores Generales plenam & perfectam hujus cause haberent cognitionem. Nemo dubitabat Definitorium Generale Conventūs translationi facile a fensurum.

II. Sed, O! mira Superūm Providentia. Dum ferè omnes eò contendunt, & validissimis rationibūs evincere conantur, ut fundatio Illavensis Posonium transferatur, DEO, ut piè creditur, conatus intercipiente ( ille namque corda hominum pro libitu regit, eorūmque consilia, ubi, & quandocunque sibi placet, novit avertere ) omnia alia protinus evenerunt ; eadem siquidem die, quā Patres opinionum varietate maximè inter se depugnabant, ope cœlesti affulgente rei status mirabiliter immutatus fuit ; cum enim mensibūs duobūs, & quod excedit, a Definitorio Generali expectandum esset responsum, idem P. Præses Illavensis, suo satisfactorus muneri, cogitavit ad hoc tempus interim Illaviam reverti : prius tamen, ut par erat, invisere voluit, & officiosè ve nerari Excellentissimum Comitem Breüneram Compatriotum nostrum, eidēmque sua obsequia deferre, ut si forte quid suis Illaviam imperandum occurreret, sibi eò properanti posset insinuare. Pater ad Comitis alloquium admissus singularis benevolentiae signis excipitur : peractis salutationum officijs Comes sciscitatur, num brevi Illavensis monasterii fabricam effet inchoaturus? Cui Pater respondit, se quidem impedio ejus rei desideriō tangi, sed

Repente mu tantur consilia.

1697. cùm aliorum Patrum , ex quibus ille se minimum profitebatur, sententia hoic proposito adversaretur , sibi integrum non esse ab eorum voluntate desistere. Quid igitur , replicat Comes , intendunt Patres ? Ad quod P. Præses , ut res erat , candidè reposuit , Fundationem , inquit , illam Posonium transferre volunt , atque ibidem in situ commodiore Monasterium stabilire. Inexpedita hæc prorsus fuit Comiti responsio , & peregrina novitas , utpotè , cui nihil magè in votis erat , quām ut Patres nostri Illaviæ firmum domicilium figerent , cœnobiumque construerent. Ergo dum Comes perplexus hæsitat , & meditabundo similis aliquamdiu conticescit , P. Præsidi Numinis , ut creditur , inspirantis Clementia egregium confilium in mentem venit , de quo ille priùs nunquam cogitaverat , sed neque tunc se consecuturum speraverat : ne tamen bellam adeò occasionem muginando negligeret , Comiti in hunc modum , utùt res etiam cederet , suam mentem aperuit : Excellentissime Domine Comes , nonnè magnæ prærogativæ , felicitatis , atque privilegii habendum esset loco , si quis Princeps aut Dynasta in ipso suo domestico palatio possideret Religiōrum cœnobium , in quo Divine persolverentur laudes , & continuò pro ejus salute , ipsiusque Familiae prosperitate DEO preces funderentur ? Cui Comes : Exemplum hujusmodi est ignotum mihi , opinor autem , id difficile posse contingere. Ad quæ Pater insignem illam Cordubensis Philosophi sententiam argutè retor. sit , atque ex ea sermonem suum ita pertexuit : *Multa , non quis difficilia sunt , non audemus , sed quia non audemus , difficilia sunt. Si veterem areem Illaviæ situ & squalore indies magis in ruinas vergensem Vestra Excellentia nobis cedere auderet , mibi haudquaquam esset difficile illam in elegans monasterium transformare , ubi Religiōsi pro salute Excellentiae Vestrae , totiusque Nobilissimæ Stirpis temporali ac eterna felicitate Divinam exorarent TRINITATEM.* Et alia , quæ ad hanc rem facere videbantur. Hæc propositio Comiti magnopere placuit ; jussit itaque confessim Excellentissimam conjugem suam accessi , quæ , cùm in ejus conspectum venisset , & rem intellexisset , ut & ipsa quoque nos Illaviæ retineret , in eandem protinus abivit sententiam. Nec post multa verba parili consensu Excellentissimi Comites in singularis favoris argumentum P. Præsidi , plusquam ipse petierat , aut sperare ausus fuerat , illam veterem arcem cum contignis fossis , & vicino Dominorum horto liberliter donaverunt. Iste verò latus in Conventum reversus , Partibus hilari animo exposuit , quæ nunc primū a Comitibus adiverat. Mirabantur omnes , & inopinatō nunciō attoniti , vix & ne vix quidem præ-gaudio se capere , aut credere poterant , sibi tam insigne beneficium obtigisse. Evanuit tunc subito disceptationem sententiarum conflictus , & omissis ad Definitorium Generale litteris , in eandem Donationem prona universorum suffragia concesserunt. Sequenti luce P. Commissarius Generalis duos Religiōsos , videlicet P. Josephum a Sanctissimo Sacramento , qui anno clapsō , ut superius retuli , Illaviæ Præsidis munus reliquaverat , & apud laudatos Comites ob vitæ sanctimoniam , con-

conceptamque de ipsius præclaris virtutibus existimationem plurimum gratiæ valebat, & P. Isidorum a Visitatione, primum ex Alemanis professum, nec non sub idem tempus in nostra Ecclesia Viennensi Concionatorem ad prædictos Comites alegavit, quitoius Ordinis nomine debitas pro tanto munere persolverent gratiarum actiones. Hos Religiosos nostros Excellentissimi Comites benevolè exceperunt, & promisse arcis donationem plurimis verbis confirmarunt.

1697.

III. Porro ne feliciter, & benè cœptis mora in perficiendis periculum crearet, aut cunctatio, ut fieri afolet, nova produceat impedimenta & obstacula; donatio enim huic innitebatur conditio, si super arcis ruinas cœnobium construi posset, Pater Praeses præcipitato itinere Illaviam contendit, ut arcis illius statum sedulo exploraret, & quid illa ruderum congeries utilitatis polliceretur, praesens cognosceret. Posonium pertransiens hominem investigavit artis Architectonicæ peritum, eumque secum Illaviam abduxit, cuius opera in hoc negotio uteretur. Inspectis igitur moris, consideratis ruinis, lustratisque fundamentis, quid valeant? quid ferre recusent? aut quem usum novo ædificio exhibere possent? quid removendum? quid superstruendum? ad libellam & artis regulas sollicitè discutitur. Diebus omnino non amplius quinque veteris fabricæ, & novi superstruendi cœnobii, diversis, ut mos est, signis & coloribus ab Architecto celeriter confecta fuit Ichnographia. His peractis Pater, ratus ferrum esse cundendum, dum calet, & omnem moram bonis successibus perniciem afflare, cum eodem Architecto, alteroque Religioso in societatem viæ assumpto rursus Viennam properavit; maluit enim vig impiger ipse, quod inceperat, negotium perficere, quam alterius periculo rem maximi momenti committere. Ichnographicam ædificii descriptionem secum adfert, & alterum Comitis alloquium non gravatè impetrat, elucubratam Illaviensis cœnobii fabricam in ichnographicis tabulis exhibet, ac minutim exponit, quæ diruenda, quæ superstruenda, & quæ funditus sint excitanda. Omnia ista Comitibus probabantur, & quia hæc delineatio non magnos sumptus exigebat, Patris laudabant industriam, qui tantò compendiò utriusque partis œconomiae consuluerat; hòc námque pactò Comites ab alio, ut convenerat, situ assignando eximebantur, & arx indies magis ruitura ædificabatur in cœnobii formam, alias ad Kalendas Græcas, ut cum Octavio Cæsare loquar, restauranda. Sic demum faciliùs Comites voto suo, nostróque factum im' fatis arbitrabantur.

IV. Per Quatriduum tota res sibi in examen vocabatur, & cum prudentibus ac rerum peritissimis de eadem consultabatur, donec omnes, quæ laboriri poterant, difficultates complanatae fuissent. Ad perpetuam igitur stabilēmque Donationis memoriam conceptis verbis, & insertis ultro citrōque pactis Litteræ Donationis confectæ, signatæ & expeditæ fuerunt die XXX. mensis Maji, felici auspicio in festo S. Felicis Papæ & Martyris, quarum formam nunc subjicio:

**Ex veteri are-  
ce conventus  
idea forma-  
tum.**

Junction, in  
Oklahoma.

Littere do-  
nationis con-  
scientiar.

1697. Quandoquidem ad tenorem istius cum Admodum Reverendis Patribus Sanctissima TRINITATIS de Redemptione captivorum initiis & celebrati contractus Eisdem locus pro adficanda Ecclesia, exstruendo Conventu & horto excolendo commodus & congruus dandus & assignandus esset, commodior autem, securiorque alias Arce interiori antiqua Illavia vix reperibilis; hinc ad maiorem DEI gloriam eandem in sua circumferentia in Conventum efformandam, Ecclesiamque illi annexendam una cum horto Arci praeclite contiguo damus & assignamus, reservatis tamen pro usu, necessitatique nostra, Posteriorum nostrorum fossato cellariò, granariò, & fonte seu puto, qui juxta conceptum Architecti Arci interiori minus deservire nequiret, hinc mentionati Reverendi Patres alium suis sumptibus pro usu Dominorum in arce exteriori fodiendum & exstruendum promiserant, seseque obligant, horum vigore & testimonio, manente ceterum primero cum Patribus Reverendis facto contractu in omnibus suis punctis & clausulis inviolabiliter servandis ille so & illibato.

Vienna 30. Maii Anno 1697.

(L.S.) Sigefridus Christophorus Breuner.

(L.S.) Maria Barbara Breunerin.  
Eine Gebohrne Breunerin.

Ad Illavien-  
es cœnobii fa-  
briacum omnia  
disponuntur.

V. Hæc uno mense feliciter peracta, imò paucis diebus preter omnium expectationem obtenta fuerunt, quæ multis annis alijs haud sperare potuissent. Et ô rem miram! Eo tempore, quo nostri de Illaviensis cœnobii structura aut translatione discerptabant, Divinâ factum est Providentiâ, ut ibidem paulò post diuidium cœnobium, & quod supereft, jam constructum viderent. Nemo erat, qui tam subitam rerum mutationem non aspiceret tanquam opus Dexteræ Excelsi, ut proinde hæc Donatio in omnibus Religiosis, primò Viennæ, Illaviæ deinde inenarrabile gaudium excitaverit, eosdemque ad ferventius persolvendas Sanctissimæ TRINITATI laudes & gratiarum actiones excitaverit. Nihil aliud jam restabat, nisi manum operi admovere, nec erat, quod ad auspicandam Illaviensis cœnobii structuram primum inclinatumque Patis Præsidis animum remorari posset. Viennæ igitur sarculis, ligonibûs, bipaliis, & arietibûs ad demoliendos inutiles parietes, ac omni reliquo muralium instrumentorum apparatu coempto Pater ad opus incipientum confessim Illaviam properavit, eoque V. Junii pervenit, quem paulò post subsecutus est Architectus magnam operiorum manum secum adducens. His Illaviam delatis, Donatio veteris Arcis promulgatur, & quia novi cœnobii ædificium propediem inchoandum erat, jubetur, ut celerius removeantur impedimenta; Arx enim tota repleta fuit oppidanorum utensilibus, quæ majoris securitatis ergo hoc

com-

1697.

comportaverant. Cunctis itaque indictum fuit, ut rebus suis intra breve tempus prospiccerent; nam si ultra præfixum temporis terminum cunctarentur, culpe sue imputarent, si quid aliorum abstrahi contigerit. Ergo die X. Junii volventis anni septimi & nonagesimi multorum manibūs operi datur initium, & imprimis quidem, quæ obstabant, removentur, labantia tecta solvuntur, & dejiciuntur, ut incole, qui magnā socordiā sarcinarum suarum asportationem hactenus distulerant, cū rem jam non sicutè agi viderent, serio de illis transferendis cogitare cœperint, ne eorum utensilia direptioni paterent. Concurrit proinde ingens agrestium turba ex omni vicinia, oppidani, paganique, arcas suas & sarcinas tollunt, totamque arcem impedimentis evanuant. Spectatu dignum erat & jucundum; visa nāmque refero, quo ardore omnes fatigabantur. Impellebatur unus ab altero, alii per conductos bajulos accelerato gressu sua efferebant, alii quidpiam trahebant, alii volvebant aliud: grandis inter confertam multitudinem erat vociferatio, strepitusque res suas repetentium; hinc & inde operantium concursatio, stridor, fragorque, dum suo quique munere perfunguntur. His igitur impedimentis sublati colonetæ actius labori incubuerunt, dejectisque veteribus parietibūs, aliisque a sitū squalore repurgatis nihil in se desiderari possi sunt, quod minus structura celeri progressu consummaretur, & arx illa intra breve tempus diversam a priore formam indueret.

**VI.** Verū dum clementarii in opere maxime fervent, novosque parietes veteribus substituunt, subortus repente tumultus ædificationem sufflaminavit. Sub idem nāmque tempus in superiori Hungaria, quibūsdam res novas molientibūs, data & qua sita occasione, ex parva scintilla non parva seditionis flamma prorupit, cui nī mature prospectum fuisset, multo cruento incendium extingui non potuisset, ideoque Illavie, & ubicunque hujus seditionis fama increbuerat, omnes magna consternatione perculti trepidarunt. Plerique operariorum nostrorum indignæ mortis metu sunt dilapsi, cessatum ab ædificatione, & quæ moveri poterant, in loca munitiora deportata fuerunt. Quintā Julii Fratrum nostrorum pars Trenchinium dimittitur, alii trans Vagum fluvium jussi sunt migrate ad arcam Leoninam, sive Leonis Lapidem, vulgo *Oroslankam* dicunt, quæ in altissima rupe de ipsis rupibus olim excavata & fabricata fuit, P. Præside cum uno alterōve Religioso Illaviæ subsidente, donec quid ulterius sit agendum, res ipsa doceret. Non tamen diu duravit hic turbo, ut uscovenit in repentinis motibus, aut tempestate; nam Cæsareæ cohortes ad discrimen propulsandum celerius, quam factiosi credidissent, congregatæ ulteriori plebis defectioni aggerem opposuerunt. Sic malum in herba succidum est, & regione pacata nostri Illaviam reversi fuerunt, ibidemque intermissam tantisper eonobii structam novo fervore urgere cœperunt.

Exorsa sedi-  
tione opus  
urbatur.Ædificatio  
regione passa-  
ta assanitus.

## C A P U T X I X.

*Illaviensis Arcis & Oppidi succinēta Topographia.*

*Arx Illaviensis obm monasterium Templum.*

*Exiuntur mūnimenta.*

*Fisco cedit, & inde Breunerianis Comitibus.*

*Veteres archi inscriptio[n]es.*

*S. Augustinus Lib. Mala. 3.*

*Inscriptiones rectis Ordinum N. deg. quatuor.*

I. **V**etus Illaviense Castrum, quod hodiè a nostris inhabitatur, antiquitùs, ut fertur multorum traditione, monasterium sive statio fuit Equitum Templi. Idipsum rudera testabantur, quæ in loco, ubi nunc coenaculum constructum est, cuiusdam non ignobilis templi vestigia exhibebant. Postquam verò in Viennensi Galliae Concilio instantे Philippo Pulchro Francorum Rege a Clemente V. Pontifice Ordo eorundem proscriptus fuisset, varios successivis temporib[us] Illavia Dominos habuit. Subinde quod receptaculum hostibus præberet, Arx Cæsar[is] jussu a Strafoldo Comite subiecto pyrio pulvere quibusdam in partibus, quæ obsidetibus moram injicere potuissent, diruta, convulsisque munimentis ad defensionem inutilis effecta est. Retinet tamen etiamnum talē statum, ut subitaneas hostium incursions & tumultuarios assultus fossarum sepimento eludere queat. Ad extre[m]um tota di[t]io Illaviensis Regio aetatio sive Fisco cessit, unde eam sibi cum reliquis latifundis Comites Breuneriani compararunt, qui illam nunc h[ereditario] jure possident.

II. Supra majorem Arcis portam versus meridiem, quā ponte sublico trans fossam aditus pandebatur, legebantur nonnullæ inscriptiones uncialib[us] litteris in pariete exaratae, quæ, ut apparet, ex Libro Meditationum S. Augustini Episcopi Ecclesiæ Doctoris, mutatis tamen nonnihil verbis depromptæ fuerunt, videlicet: *Magna est mea i[n]justitia, satis verò major Redemptoris Justitia.* Item ibidem in alio loco: *Quanto superior est DEUS homine, tanto inferior est malitia mea ejus bonitate.* Ac iterum: *Quid enim deliquerit homo, quod non redemerit Filius DEI factus homo.* Et demum:

M. D. XCII.  
DAVID PSAL. L.

*Nunc tibi nulla magis cordi sunt sacra, nec ullum  
Gratiā est animā se cruciante sacrum.*

Quis inscriptiones istas conceperit, obscurum etiamnum manet, ac ambiguum; si tamen ariolari licet, arbitror, ea ex calamo cuiusdam Sectarii profluxisse, qui, ut tantò majorem peccandi licentiam sibi aperiret, hæc verba in reprobum sensam detorſit, ut fauciā, lattantēaque conscientiam suam horum verborum intuitu, velut objectā quādam offā placaret, cùm sēpè hujusmodi verba inter pocula ructare soleant illi, qui majorem vitæ licentiam affectantur. Non tamen difficile admodum, aut operosum erit, ex his ipsis verbis in meliori sensu acceptis omen eruere, quod sicet scriptor eorum nihil minus cogitaverit, portendebatur, atque hanc aliquando in Domicilium Ordinis Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum conversum iri; in prioribus namque sententiis crebrius Redemptionis mentio occurrit. Distinctione autem illis verbis subiectum rigidieris vita vaticinum censeri

po-

potest, quorum utrumque nunc in illa domo vel maximè floret. Non libet tamen variis conjecturis, quas aliquis non immerito ingeniorum equuleos nominare posset, cerebrum torquere, cùm inscriptiones illæ nova succedente structura pridem sint abolitæ. Satis est earum memoriam aliqualiter conservasse. 1697.

III. Cæterum Illavia & arcem exteriorem habet, quæ versus Meridiem procurrrens eadem ex parte nostrum cœnobium ambit. Colliculo adhæret in situ commodo & perameno; lectis lapidibus innitur, ne exundantis fluvii Vagi vehementia subruatur. Domicilium hic est Comitum Breünerianorum & eorundem successorum, dum Illaviæ subsistunt. Frequenter ibidem ob loci commoditatem celebabantur Nobilium Vitorum congressus, sive de publicis negotiis agendum, sive de partitione communium onerum tractandum esset. Oppidum autem ipsum nec spatiosum admodum, nec angustum est, centum circiter domos suò gremio complectens. Unicum duntaxat Templum Parochiale obtinet. Incolæ hujus loci moderno quidem tempore Catholicam fidem profitentur, quamvis non desint, qui eandem cum Luthero insaniam insinant. Episcopatu Nitriensi subest, si jurisdictio Ecclesiastica spectetur. In politicis verò Comitatui Trenchiniensi paret. Paucis: Oppidum est non incelebre, civibüs frequens, & jure municipii gaudens, distatque Viennâ Septentrionem versus quinque circiter & viginti milliaribüs germanicis. Residet autem in amœna planicie, non multum tamen montibüs remotis, quos nemora, dum per faxa licet, coronant, ideoque aère saluberrimo perfunditur. Castrum, eique vicinum Monasterium Ordinis nostri a longè viatorum oculis se obſciunt, camporum latè patentium, & intersecantis fluminis cursus, subinde agris infertæ villæ, Nobilium prædia magnificum ad oblationem intuentibus præbent spectaculum. Ab Oriente & Meridie Vago, Cysi antiquitus, fluvio alluitur, qui ex aspermis Liptoviæ & Arvæ montibus, in quibus hyems diutiùs regnat, non magno fonte natus scaturit, niviumque liquefactarum & crebriore rivulorum accessione auctus latum alveum implet, copiosâ tamen in fundo arenâ faburratus, versicolores etiam lapillos gratô naturæ ludibriô effictos ostentat. Unda ejus est admodum limpida, trutisque gravissima, quæ insolita magnitudine ejus undas percurrentes pectoribus haud parvum quæstum præstant. Non stagnat in uliginosas paludes, unde aër vaporibus aut tetrīs exhalationibus possit contaminari; sed rapaciori cursu & tortuoso flexu vagatur, unde & a vago cursu suo nomen accepit, *Vagus* dictus. Tandem post varias ambages haud procul Comaromiō e regione Guttæ oppidi obvium Danubii brachium amplectitur, ubi mutato nomine *Vago-Danubius* dicitur, donec eundem cum Istro alveum efficiens ad Pontum Euxinum procurrat. Vinum regio non progerminat, ex vicinia tamen plaustris advehitur non magno sumptu, nec fatigio; illius defectum apud egentiores abunde supplet cerevisia, zythum latinius dixeris, quo potus genere omnes ferè Nationes Septentrionales uti consueverunt. Linō frequens terra

Exterior arc.

Templum  
Parochiale.

Vagus fluvius.

Potus Ce-  
viliae.

1597.

Borutensis.

seritur, foeminarum potissimum in frangendo frutice cura & labor, unde in domesticos usus & conlendum lucrum sat amplius est proventus. Pomariis per viciniam ornatur, quorum fructus exquisiti saporis de salubritate magnoperè commendantur. Cætera demum ad sustentandam humanam vitam copiosè suppetunt, non quidem ea, quæ Sybaritanas delicias ministrent, verùm quæ ad agendam tranquillam a morbis ætatem sufficient hominibus non nimis delicatis.

## C A P U T XX.

### *Pofonium Hungariæ civitatem Ordo inducitur.*

Debetur  
Ordinem Po-  
fonium inde-  
cendi.

I. **S**Tabilita in hunc modum, ut præmisimus, solidis basibus Illaviensi Fundatione cura successit Patribus, qua ratione Ordinem nostrum Pofonio implantarent. Id pridem in votis erat, quod hæc urbs Regia, Liberaque, nec non Austris contermina, & post Budam a Turcis expugnatam Regni Hungarie Metropolis habeatur. Acuebat cupiditatem, quod hæc Regia civitas Ordini per eximios fautores non pauca sponderet emolumenta. Patres igitur facti supplices Eminentissimo Cardinali Kolloniczio Archi-Episcopo Strigoniensi & Regni Hungariæ Primi, singulari affectu nobis addito, petierunt, ut facultatem novi in hac urbe cœnobii condendi nobis benignè impertiretur, illudque suò sub-sidiò foveret, ac proveheret. Evidem Sua Eminentia jam dum structuram novi alicujus cœnobii Ordinis nostri intra limites Regni Hungarici parturierat, & adulta benevolentia diu in hoc proposito animum obfirmaverat, nolebat tamen, ut id Pofonii consurgeret, sed Scalicii ad Moraviæ confinia in quo loco Ecclesia ministris vacabat; quam proinde nobis adjunctò monasterio tradere constituerat. Ast cum prægnantibus aliis negotiis identem distineretur, executionem illius rei in tempus magis opportunum differebat; satis esse ratus, si nobis interim domicilium præberet, reliqua seriùs aut citius fierent, parùm interesset patabant.

Domus ad  
tempus Pofon-  
ii nobis con-  
ceditur.

II. Verum enim verò chm Patres assiduis precibüs Pofonii fundationem urgere non desisterent, Eminentissimus Cardinalis, ut eos de sua voluntate securiores redderet, illisque simul quacunque ratione posset, gratificaretur, hanc telam orditus est: Domus erat Pofonii, eadēque Diversorum publicum sub signo Corone, quam ante semestre pro quatuor millibus florenorum in centum commodatis ad instar hypothecæ receperat. Domus ita occasionem dedit supplicantum votis obsequendi: hanc itaque nobis per quadriennium (ad totidem namque annos domus in hypothecam fuerat suscepta) inhabitandam tradiderat, pollicitus, interim se provisurum, ut rectè omnia constituantur, & pro nostro commodo aptè transfigantur. Hæc ore duntaxat prolata nullò diebat egere securitatis instrumento. Solùm proinde ad unicum suum five Bonorum Archi Episcopaliū Praefectum, &

ad Consulem, nec non Judicem Posoniensis civitatis litteras dedit, quibus mandavit, ut domus illa Patribus ad temporarium incolatus usum traderetur. His litteris impetratis P. **Commissarius Generalis** P. Michaëlem ab Assumptione, qui Philosophiam & Theologiam fratribus Viennæ prælegerat cum aliquot sociis designat, qui hoc opus felicibus avibus auspicarentur. Posonium Profecti Eminentissimi Domini Cardinalis Archi-Episcopi litteras expromunt, easque Personis, ad quas destinatæ fuerant, porrigit. Rata habentur omnia: cuncti voluntati Cardinalis Archi-Episcopi e vestigio se obtemperaturos pollicentur. **Consul & Judex** mandata usitato in Posoniensi Curia more expedient, quorum virtute intra paucos dies prie fata domus nobis in possessionem tradita, & hæc ipsa traditio in acta publica civitatis relata fuit. Indicta est hospiti, ac ceteris domus incolis migratio ad sequens Dedicatio-  
nis S. Michaelis Archangeli festum; nostri autem interea diversorum obtinuerunt in ædibus Magnifici Domini Gabrielis Paludai Equitis Aurati & Excelse Cameræ Regni Hungariæ a consiliis, Vi-  
ri Ordini nostro singulariter addicti. Enascebantur quidem sub-  
inde in harum rerum prosecutione remoræ & oppositiones, om-  
nes tamen facilis negotiò devictæ fuerunt, ubi manifestis indiciis patuit Reverendissimos Dominos Ecclesiae Collegiatæ Posonii ad S. Martinum Canonicos cum insigni commendatione nostro Ordini favere, quorum affectum non sine grati animi testificatione recolimus.

**III. Inter hæc Illaviæ indies magno ardore, pluriūmque mer-  
cenariorum accessione cœptum opus majoribus incrementis quo-  
tidie provhebatur; P. Præses enim illius Collegii tota industriæ  
in id incubuit, ut quanto fieri posset celerius, cœnobium per-  
ceretur, vel ita saltem adaptaretur, ut quantocyùs a Religiosis  
inhabitari valeret. Cùm verò quotidianè Ecclesiæ, fratrum vide-  
licet sibi commissorum, solicitudine nonnihil distineretur; hujus  
námque ædificii occasione variae emergebant distractions, quas  
verebatur, ne in animos recentiorum etiamnum plantularum ir-  
reperent, earumque profectui tam in spiritualibus, quam litte-  
rariis exercitationibus impedimentum crearent, præcipue autem,  
quia sacri Ordinis nostri Constitutionibus providè cautum esse no-  
verat, ne novi cœnobii structuræ plures quam tres aut quatuor  
Religiosi assistant, donec Ecclesia & habitatio cum sufficienti clau-  
sura constructa fuerit, ideo P. Præses impendiò desideravit, ut  
Philosophie Collegium Illaviæ Posonium ad novam Ordinis nostri  
domum transferretur, & hæc suffiente fratrum numero im-  
pleta protinus ad justi cœnobii formam reduceretur. Sed quo-  
niam domus illa Posoniensis nondum ad eas opes ascenderat, ut  
tot Religiosos absque insigni dispendio alere valeret, promisit, se  
in congruam eorum sustentationem mille quotannis florenos sup-  
peditaturum, si tamen hoc consilium Ordinis Majoribus proba-  
retur. Ut autem ritè in hoc negotio procederet, rem imprimis  
Illaviensi Communitati proposuit, ac deinde allorum quoque sen-  
tentias exquisivit. Nemo fuit, qui huic intentioni adversaretur,**

M m m a

Ad fundatio-  
nem Poso-  
niensem mit-  
tuntur Colle-  
giates & subdi-  
ctores Colla-  
gio Illaviensi.

Constitu-  
tio cap. 3. §.  
1. n. 4.

aut

1697. aut eam nigrō calculō notaret, adeoque omnes in eandem opinionem conspiraverunt, ut proinde res confessim prescripta fuerit ad nostrum Definitorium Generale, citra cujus veniam nefas inter nos habetur, res majoris momenti decernere. Definitorium porrò intellecta Patris voluntate totum ejus Decretum laudavit, approbavit, & confirmavit, ut in sequentibus litteris videre est:

BENEDICTA SIT SANCTA TRINITAS.

*Subsidia Posoniom mittemda approbatur a Definitorio Generali.*

*Condicio.*

*Extensio.*

*Alio Conditione.*

*Confirmatio Datum.*

Fr. Joannes a Sancto Antonio Minister Major ac Generalis Ordinis Excalceatorum Sanctissime TRINITATIS Redemptionis Capitivorum Primitivam Regulam profitentium &c. Cum P. Praeses nostri Illaviensis Collegii, ceterique Patres Conventuales ejusdem Collegii ad tintinnum campanae vocati & conjuncti in Aula Capitulari, ubi ad determinanda negotia ad totum Capitulum spectantia solent congregari, decreverint nomine suo & futurorum dare singulis annis mille florenos Rhenenses nostra Fundationi Posoniensi sequenti forma: nempe quod singulis annis pro toto tempore, in quo uite Fundationis Communitas dictam summam possideat, teneatur cistulam unam parvam piscium transmittere Communitati Illavensi in Festo S. Georgii in signum memoriae & gratitudinis. At dato casu quod decursu temporis Communitas Posoniensis, seu congruam habeat sustentationem, ita ut sustentari valeat, Commissarius Generalis, vel in hujus defectu Provincialis cum P. Superiore Collegii informationem subscriptam, & sigillatam ab utroque transmittant ad nostrum Definitorium Generale, cui in tali eventu predicta Illavensis Communitas zelo majoris gloriae DEI ducta, & ulteriore nostrae sacre Religionis extensionem desiderans cedit jus suum ad dictos mille florenos, ut applicet alteri fundationi facienda, & haec facta si habeat a Patrono, vel aliunde congruam substantiam, iisdem circumstantiis iterum Definitorium alteri applicet, & sic de reliquis. Hac tamen conditione, quod predictae novae Fundationes semper erigantur intra viscera Regni Hungarie iuxta mentem Celsissimi Principis Archi - Episcopi Strigoniensis Domini Georgii Szechenyi totius Apostolici Regni Hungariae Primatis, Pie Memoriae, defuncti, nostri Illavensis Collegii Fundatoris & Dignissimi Patroni. Et Communitas, que emolumento mille florenorum potietur, teneatur mittere Illavensi Communitati dictam cistulam piscium, & orare pro prefato Celsissimo Princeps Fundatore. Haec tenus contentum in Decreto, quod predicti Patres Praeses & ceteri Sacerdotes nostri Illavensis Collegii Conventuales propriis manibus & nominibus subscriptum, & in ipso insertum etiam, quam ad illud faciendum liberè & sponte sua petierunt;

1697.

runt, & obtinuerunt a P. F. Josepho a Matre DEI Ministero Viennensi & nostro per Germaniam & Hungariam Commissario Generali ad nos remiserunt. Cumque nostrum Definitorium Generale, cui per suum Secretarium notum tale Decretum laudabile, & fraterna charitate dignum judicaverit, & sua acceptatione & assensu robaverit; idcirco Definitorio nostro annuentes, Nos etiam dictum Decretum denuò acceptamus, & confirmamus, & ad litteram, prout jacet, stabile, firmum, & invariatum deinceps perseverare & permanere volumus. In quorum fidem presentes manu nostra, ac nostri Secretarii chyrographo subscriptas, & Sigilli nostri Definitorii impressione munitas, fieri jussimus, in hoc nostro Madritensi Conventu die 10. Septembris anno 1697.

Fr. JOANNES a S. ANTONIO  
MINISTER GENERALIS.

(L.S.)

Mandatô N. P. Ministri Generalis

Fr. JOSEPHUS a RESURRECTIONE  
Definitor Generalis & Secretarius.

IV. Non defuere tamen, qui ad hoc Decretum velut ad Meduse caput obstupescerent, rati augendas potius, quam diminuendas esse Foundationum facultates, aliquaque his similia obstrepentes, quæ ex armamentario mundanæ sapientiae depromperant. Velim tamen, ut isti perpenderent, rem tanti momenti non temere transactam, nec fortuitò procusam fuisse, sed ex matura deliberatione processisse, ut ipsa Decreti verba apertissimè demonstrant. Sed neque clausula in Foundationis Illaviensis Diplomate superius Capite III. relata, huic conventioni adversatur, ubi dicitur: Redictum illius non in alios usus, quam praesentis Foundationis nostre conformes modalitate supra specificata impendere obligentur. Admodum enim conformes hi usus erant Illaviensi Fundationi, tum quia Domus Posoniensis ex parte neutiquam diversum ab illa corpus constituebat; quinimò hujus, aliarumque successione majus robur acquirebat, magisque Defuncti Archi- Episcopi Fundatoris augebat merita, accumulabat gloriam, qui, si eo tempore vixisset, tam pia intentioni profectò nunquam se opposuisset, utpotè, cui nihil perinde in desideriis erat, ac Regnum Hungariæ plurimis passim cœnobiosis extructis condecorare, cujus veritatis locupletissimi testes sunt tot ab ipso excitata Sacerdotum Collegia. Tum etiam, quia Fundatio Illaviensis hac ratione se aliarum constituebat Matrem forcundam & gloriosem, quam nunc eam reapse agnoscit Domus Posoniensis, quæ ingenuo candore se ejus filiam profitetur. Nec quidquam idcirco captivorum peculio detraictum fuit; tertia namque pars Illaviensium reddituum pro Redemptione captivorum separanda etiam hoc pactò intacta, & ilibata perseveravit, quæ praesertim Medalitas ab Archi-Episcopo

Decretum  
defenditur.Conventus  
Illaviensis  
mater Poso-  
niensis.

N n n

Fun-

1697.

*Fundatore specificata* fuit in Foundationis diplomate , & ex ipsis Regularum nostrarum Sanctionibus sarta hucusque semper tectaque permanxit. Cæterum res sanè minimè nova est , aut infosita in Religiosorum hominum Familia , plurāque hujus classis exempla passim in gestis Sanctorum legimus , qui , cùm eis necessaria ad vitam frugaliter sustentandam subsidia suppeterent , non admiserunt Bona temporalia , vel admissa abdicarunt , & in alios pios usus converterunt : scilicet religiosa moderatio respuit , quidquid abundantiam redoleat , ac superflua vetusto more in aliorum emolumenta convertit. Adde ; quod hac ratione consulebatur Sanctissime TRINITATIS Glorie propagandæ , atque Redemptioni fructuosiùs , plurium videlicet adminiculò , excolandæ , ac denique animarum saluti cumulatiùs promovendæ. Quæ omnia Piissimi Fundatoris menti erant valde conformia. Hæc autem recensita pacta inter utrumque Conventum mutuâ benevolentia per sequens sexennum observata fuerunt , quamdiu res Illavienis Cœnobii floruerant ; iis vero postea temporum injuriis & præcipue civilium bellorum furore vehementer accisis , hic etiam tractatus antiquati fuerunt , quod vastatio & defolatio Illavienis Cœnobii non paucis annis duraret. Successere demum variâ fata , magni sumptus requirebantur pro resaciendis damnis , reparanda re familiari nimirum attrita & extenuata , enata sunt quoque alia incommoda , lites præsertim forenses , quæ simul omnia observationem illius Decreti impossibilem prorsus effecerunt , ut nunc per desuetudinem & non usum penitus exspirasse videatur. Ne tamen ejus memoria apud posteros temporum diuturnitate pariter intercidet , id paucis verbis ab oblivione vindicare libuit , si forte meliori affulgente fortuna alicui illud resuscitare , & ad pristinum redintegrare vigorem aliquando placet ; quod tamen vix futurum reor.

*Domus ordinatur in monasterium.*

V. Porrò tam commendabilis pietas , fraternaque charitas , extimo Religionis propagandæ zelo , studioque conjuncta , ut a Majoribus Ordinis approbationem , vim , roburque obtinuit , ita vires quoque præbuit , quibus Fundatio Posoniensis firmiores ageret radices. Igitur in principio mensis Octobris , ut constitutum erat , nostri prefatam domum Posonii cœperunt incolere. Hanc ingressi , confessim eam in aliquale monasterii schema redegerunt , & Sacellum in loco aptiore constituerunt , ubi exteris ( quin domus interiora penetrarent ) ad Divina obeunda Mysteria facilior patebat accessus. Vicinæ duæ cameræ , Odei una , altera Sacrae vices explebat , reliqua verò hypocausta pro Religiosorum habitationibus , Museo & Triclinio serviebant , pensilibus ambulacris juxta muros ad aream trans cellarum januas sub dio pro transitu remanentibus. Secundum Sacelli fores commendantibus regularis janua fuit constituta. Forinsecus , supra majorem ad publicam viam domus portam , ne agyrtarum more res nostras clanculum agere videremur , sublatō veteri Corona signo in partenti tabula rubri , cœruleique coloris crux Ordinis depicta , eique adscriptum fuit Oraculum INNOCENTII III. Pontificis Maximi in

in approbatione sacri nostri Ordinis pronunciatum, videlicet: HIC EST ORDO APPROBATUS, NON A SANCTIS FABRICATUS, SED A SOLO SUMMO DEO. Ut hæc mutatio omnium oculos incurreret, quotquot has ædes deinceps ingredi vellent, sciréntque viatores universi, in hac domo nullum amplius profanum divisorium reperiri.

1697.

VI. Rebùs omnibùs meliore, quantum fieri potuit, modo ad cœnobii symetriam adaptatis, P. Michaël ab Assumptione ad Eminentissimum Cardinalem Kolloniczum Fundatorem nostrum & Patronum epistolam exaravit, ubi, postquam singillatim exposuisset, quæ hætenus gesta fuerant, suppliciter deinde rogavit, ut ex Archi-Episcopali gratia Venerabile Eucharistiæ Sacramentum Sacello, ad possibilem decentiam ornato, inferre liceret, unicam in rebus humanis & precipuum Religiosorum solatum, CHRISTI Passioñis, ut inquit D. Thomas, *Memoriale perpetuum*. Eminentissimus Cardinalis prospero terum nostrarum successori gratulatus, die vigesima tertia mensis Octobris benignè referi-  
psit, petitamque facultatem prolixè concessit, asservandi videli-  
cet in Sacello nostro cum debita reverentia Sacratissimam Eucha-  
ristiam; hac tamen adjecta conditione, ut sacrum Pignus in al-  
tari collocaretur, vitato, quantum fieri posset, festivo apparatu  
& populari concursu. Arbitrabatur nimirum Prudentissimus Prin-  
ceps, id potissimum in hisce rerum circumstantiis expedite ad evitandam omnem æmulorum invidiam. Pater igitur Cardinali Archi-Episcopo morem gesturus, prætermissa plurimum invitatio-  
ne quintam diem mensis Novembbris, Festo S. Emerici Principis,  
patriæ Indigetis, consecratam ad primum Missæ sacrificium cele-  
brandum elegit. Ea die postquam manè hic locus universus sacro  
Benedictionis ritu expiatus fuisse, Reverendissimus Dominus  
Gregorius Gersnericz Abbas Jakensis, & Posonii Collegiate Eccle-  
sie ad S. Martinum Canonicus, eximius Ordinis Fautor & Bene-  
factor ad hunc actum peculiariter invitatus, primum apud nos Mi-  
ssæ Sacrificium peregit; alterum P. Michaël ab Assumptione novæ  
hujus Fundationis Praeses, Collocatione Sacratissimæ Eucharistiæ  
in aliud diem comperendinata.

Petitut licen-  
tia SS. Eucha-  
ristiam collo-  
candi.S. Thom. Opus-  
culi 57.Facultas con-  
ceditur cum  
cautele.S. Novem-  
bris primum  
Sectum.Imperatrix  
prima prebet  
sacra para-  
menta.

VII. Prima Sacrarum vestium paramenta pro Posoniensi no-  
stro Sacello, Augustissima ELEONORA Romanorum Imperatrix,  
ut erat ornande pietatis studiosissima suppeditavit; noverat enim  
acu doctissimè pingere, solebatque sacros labores inter nobiles  
aulicæ sui Gynæcei virgines partiri, ut salutari occupatione disten-  
te otium vitarent, & tempus ad Divini cultûs obsequium san-  
ctè, ac fructuose impenderent. Multas Ipsa egentiores Ecclesias  
hac sacra Supellectile, Regiis ejus manibûs confecta, liberaliter do-  
tavit memorando ad posteritatem exemplô, quo Principes Fœni-  
næ discere possunt, qualiter succivas horas in lucrum animatum  
suarum convertant. Insuper P. Praeses, ut erat industrius, Vien-  
nae inter Nobiles Aulæ Dominas ad levandam domûs egestatem  
non modicam pecuniam corrogavit, quâ pro Ecclesiæ suæ ministerio

N n n

argen-

1697.

argenteum inaugratumque calicem & alia necessaria comparavit. Sic probè consultum fuit angustioribus initis: spem ad augustinorum incrementa fecit fidelium pietas & benevolentia.

Frates Illavie  
veneris Polonum  
mutau-  
tut.

so. Novem-  
bris SS Sacra-  
mentum col-  
locatus.

17. Religiosi  
domum inco-  
lunt.

VIII. Dum ea geruntur Posonii, Illavie junioribus Religiosis, qui eo tempore Philosophiae studiis vacabant, & ab uno jam mense secundum cursum in octo Libros Aristotelis Phisicorum inchoaverant, repente a Superiore migratio indicta fuit. Illici autem collectis tumultuarie codicibus, & arreptò Breviario itineri se commiserunt, ac manipulatim divisi, mox bini, terni, aut quaterni Polonium in ipso Novembri contenderunt, quo etiam ferè omnes decima nona die ejusdem mensis salvi & incolumes venerunt. Sequentे sacra luce, quā Festum S. P. N. FELICIS VALESII solemni apparatu in Ordine nostro celebratur, idem Reverendissimus Dominus Gregorius Gersnericz, cuius superius mentionem fecimus, in novo nostrae domū Sacello rem Divinam pergit, Sacram Eucharistiam adorandam exhibuit, præsentem populum, quem fortuitò casus adduxerat, benedixit, & Divinam Hostiam hierothecæ impositam sacratio inclusit, ut ibidem deinceps stabili fede afferryaretur. Quo factò religiosa Communio nostra in gratiarum actionem pro hoc beneficio, a DEO nobis collato, Hymnum Augustino-Ambrofianum *Te DEUM laudamus* solitis precibus concinuit. Reverendissimus porrò Gregorius Abbas & Canonicus suis sumptibus in eadem domo opiparum adornavit prandium, cui nobiscum, nullo altero hospite præsente, ad vitandum nimirūm concursum, accubuit, universis interea Religiosis nostris de tam prosperis hujus cœnobii initis sibi gratulantibus. Illud præcipua admiratione omnes dignum putabant, quod novò, & fortassis nunquam adhuc visò exemplò vinaria taberna unò quasi momentò in cœnobium septendecim Religiosorum transiverit; aderant enim quinque Sacerdotes, novem Clerici Sacris nondum initiati, & tres fratres activam vitam professi, qui, ut numerò erant septendecim, ita omnes uno eodem tempore regularis vitae observationem in publicum pandochœum introduxerunt, & monasticam disciplinam in loco, qui non ita pridem profanum diversorum erat, stabiliverunt.

## C A P U T XXI.

*P. Maurus cum Comite Harrachio in Hispanias proficitur. Rome obit Eminentissimus Cardinalis Dessoßius. Augustissimus LEOPOLDUS Imperator Ordinem nostrum Archi-Episcopo Mediolanensi commendat.*

Comes Har-  
rachius petrus  
& obit eius.  
Maurus, us-  
tuncum perge-  
ta Hispaniam.

I. **A**lia hujus anni septimi & nonagesimi memorabilia ordine sic cèt nonnihil præpostero, ne superioris narrationis series hujuscemodi intergeriis rumperetur, huc corollarii loco reservata, vel nunc tandem subtexere operæ pretium esse duxi. Primum sibi locum vendicat discessus P. Mauri in Hispaniam; etenim

cùm

cum in ipso propè Veris limine Excellentissimus Dominus Ferdinandus Bonaventura Comes Harrachius a Cæsare in Hispaniam ablegatus fuisset, ut sua dexteritate, ac industria gravissimi momenti negotia componeret, ille in tam longinqui itineris societatem P. Maurum a Conceptione, virum peritum & in rebus agendis mirè versatum, a Majoribus Ordinis instanter postulavit; et si verò is tenelle adhac Ordinis plantationi esset summè necessarius, non tamen id negare potuere, aut voluere Superiores tam insigni Ordinis nostri Patrono & Fautori, cuius nutus & desideria mandatorum loco habebant, ad omnia ejus obsequia prompti, inclinatique. Die igitur XVI. mensis Martii cum modico comitatu in viam se dederunt, & post diuturnam peregrinationem incolumes Madritum pervenerunt, in qua etiam regia villa aliquot annis subsisterunt ad curanda Cæsaris negotia.

Obitus Ca-  
dinalis Den-  
hoffii lugatur.

II. Sed illud hōc oōdem anno accidit luctuosius, cū ad duodecimum Kalendas Julias Eminentissimus Dominus **Cardinalis Joannes Casimirus Denhoffius** prēmaturo obitu suo universum Ordinem nostrum gravissimo moerore involvit: Evidem antecessores Ordinis nostri Chronographi multū sibi negotii fecerunt, ut tanti Viri meritis par aliquid rependerent, sed cū ejus in Ordinem nostrum Beneficia modum superent, magnam posteris de hujus Præfulis laudibus scribendi materiam reliquerunt, utpotè, quæ non solum antecessorum nostrorum calamos fatigaverunt, verū etiam modernis scriptoribus amplum, magnificumque sermonis theatrum aperiunt, in quo licet Orator aliquis personam suam facundissimè agat, plurima tamen semper prætermittet, quæ in Clarissimi hujus Antistitis encomia dici possent. Huic enim purpurato Principi post DEUM, qui ei hanc mentem inspiravit, facer Ordo noster in acceptis refert, quod palmites suos in Boreales Provincias extenderit, utpotè, qui immensō alienæ salutis zelō impulsus, propitio Numine primum apud Apostolicam Romæ Petram movit lapidem ad Redemptricem Familiam nostram pro majori gloria Sanctissimæ TRINITATIS, Christianorum captivorum incredibili bono, ac denique propria sua, & nunquam intermoritura gloria in Septentrionales orbis plagas introducendam. Sed quis satīs deplorare queat inexorabilem Parcarum saevitatem? Romæ hōc anno in ipso vēnantis ævi flore, in tanto honoris fastigio emarcuit, mortique in prædam cessit longiore vita dignissimus. Aptè nunc mihi in mentem venit, quod apud non vulgaris notæ scriptorem me legisse memini, videlicet:

*Eum vitam amittere, cuius privatione Respublica damnum sentiat, utique funestum est, ac lacrymosum. Sicut enim natura, vel senio confectos equiore animo extingui toleramus, cū magnum adferat solitum ipsa mortalitatem necessitas; ita, quos præcipue ad gloriam natos videmus, non annorum curriculo, non natura, sed inexpectata morte nobis eripi, durius sentimus, qui, si diutius vivissent, vel præclaræ gestis immortalem nosorum operum adjunxissent appendicem, vel, quæ autem perficere non poterant, longioris vite progressu cum publica utilitate, eternaque memoria perfecissent.*

Anastasius  
Cormonius  
Archi-Epis-  
copus Taranta-  
nensis in Lib. de  
Legatis Prince-  
cipiis.

1697.  
sepulta  
ratis cum Epi-  
sophio.

III. At surdis occiduntur ista ; mors nescia fleti. Cardinalis Denhoffius, quod vivens in votis habuit, post felicem ex hac valle lacrymarum transitum in nostro Romano S. Caroli ad quatuor fontes de urbe cœnobio honorificè tumulatus fuit, ubi etiamnum ante aram principem monumentum ejus paro, porphyrioque marmore constructum visitur, cui nostri in perpetua gratitudinis mnemosynon sequens epitaphium inscribi fecerunt.

### D. O. M.

**JOANNES CASIMIRUS DENHOFF.  
POLONICÆ NOBILITATIS DECUS,  
JOANNIS III. REGIS AD INNOC. XI.  
PRO FOEDERE IN TURCAS ABLEGATUS,  
OB VIRTUTUM SPLENDOREM  
S. SPIRITUS PRÆCEPTOR,  
MOX S. R. E. CARD. CÆSENÆ ANTISTITES  
A PONTIFICE IPSO RENUNCIATUS,  
INTER DISCALCEATOS SSS. TRINITATIS,  
EJUS OPE AC TUTELA IN POLONIAM INDUCTOS,  
SE TUMULARI MANDAVIT.  
OBIIT DIE XX. JUNII.  
ANNO M. DC. XCVII. ÆTATIS SUÆ XXXXIV.  
IN PERPETUUM GRATITUDINIS SIGNUM.  
PP. MONUMENTUM POSUERE.**

Hanc itaque Eminentissimo Cardinali Denhoffio & nos æternæ memorie gratitudinem litamus, quoniam & ipse cognatus suo nostræ propagationi commodavit, & primigeniam Provinciæ nostræ occasionem dedit; quæ impræsentiarum superficiarij calamô cursim tetigisse sufficiat, quamvis nihil satis protanti Viri dignitate, ac meritis dici queat; dum interim a Chronographis Provinciæ Poloniæ, S. Joachimo dedicatæ, prolixiora commentaria præstolamur, quibus ex munera ratione incumbit Denhoffiana gesta cultiore stylo ad Posteritatis memoriam transmittere: ut proinde, ne in alienam messem falcam meam immittere videat, eis hanc Spartam elegantiùs ornandam integrè reservem.

IV. Demum eodem anno novus & nequaquam postremis accensendus in Ordinem nostrum Augustissimi LEOPOLDI I. Romanorum Imperatoris favor emicuit; is enim minimè contentus Ordinem nostrum intra Regnorum suorum viscera fovisse, joviisse, animasse, protexisse, ac denique in quibusvis occasionibus suppetias tulisse, exterios etiam viros principes ad idem prestandum officium alicere, incitare, & accendere nunquam desist. Locupletissimum huic veritati testimonium perhibet epistola illa, quam in nostra causa ad Archi-Episcopum Mediolanensem de-

1697.

dederat, ubi Cesaream suam erga nos benevolentiam tenerimis verbis expressit & absolvit; fragmentum hic damus, integrum epistolam aliis temporibus & locis aliis fors aliquando daturi: Cum dīsi Patres inquit, sunt viri omni virtutum genere, magna doctrina ex exemplari vita conspicui, qui hic in Austria & Hungaria non vulgarem sibi existimationem compararunt, medico etiam tempore, quo in his partibus degunt, plurimos captivos ex Turcia redemerunt, gratiam Cesaream & protectionem benemeritā bis commendatissimā dignari aperuit. Itaque Reverendissimam Paternitatem Vestram hinc perbene volē requirimus, velit Paternam berum Religiosorum curam admittere, ut speratum nostra interventionis effectum re ipsā experiantur. Gratum hoc Nobis erit officium, qui Benevolentiam nostram Reverendissime Paternitati Vestra uberrimè confirmamus. Vienne 6. Novembris 1697.

## C A P U T XXII.

### *Redemptionis Captivorum utilitas atque necessitas.*

I. Utilitatem dispescimus in duplēm hypothēsim, quarum altera bonum corporis spectat, altera animarum emolumento intendit: experientia autem magistrā constat Redemptionem utriusque parti, corpori nimirū, & animæ, ex quibus homo in statu viae componitur, singularia commoda attulisse: quin ea nunc bona in calculum veniant, quæ corpori & animæ divitiae redēptionis opera obtingunt, utputa justa funebria, extrems sepulturae honor, ac denique frequentiora pro defunctis orationum suffragia. Temporales itaque ac spirituales utilitates ex captivorum Redēptione promanantes juxta ordinem breviter recensere animum induxi; ad majorem enim sacri nostri Instituti elucidationem hujusmodi fas est indulgere parergis.

Duplices utilitas corporis & animæ.

II. Quid interfit, si temporalis utilitatis ratio habeatur, inter servilia corpora & libera, nemo non intelligit: quod sit discrimen in bonis fortunæ inter auream libertatem & ferream captivitatē, inter mancipatum & emancipatum lippis etiam ac tonsoribus notum puto. Nihil namque homini deterius accidere potest captivitate, nihil delectabilius libertate; nihil melius, quam suum esse, suōque arbitratu vivere; nihil pejus, quam pro alterius arbitrio omnia agere, ac vitæ necisque molestum semper dominum pati, quæ inter Turcas & Tartaros Christianorum mancipiorum sors est sanè miserima. Diogenes Philosophus Cynicus e dolio interrogatus: *Quid optimum inter homines esset?* scitè ac quasi ex Tripode respondit: *Libertas.* Et quid supereft ei, cui deest libertas? Natura certè omnes vult nasci liberos: ideo naturalis est homini libertas, si quod ex hujus defectu vitium intercedat, gravis infertur naturæ injuria.

Utilitas corporis & libertatis.

III. Dulce solum patria, ut vulgatō adagjō dicitur, & sua dulcedine omnia superat: Redēptionis autem beneficj ab exilio revocantur fideles, & patriæ restituuntur. Magna profectō

A patria & fortuna bona felicitas.

**3697.** *hæc est felicitas ; ex qua plurimæ utilitates sequuntur ; sibi námque restitutus , laboribüs & industriis fruitur suis , res domi familiares auget , sua pro arbitrio dispensat , amicos sibi conciliat , jucundis, honestisque conversationibus operam impendit ; si proles ipsi nascantur , non vernæ , sed liberi vocantur nati , utiliter ad Republicæ commodum educantur , bonis moribüs instituuntur , hæredes patriæ libertatis , & bonorum multiplicantur , artes excoluntur , agriculturæ atque militiæ studia foventur , vires hostium enervantur ; Turcæ námque plurimū in re agraria , navalí , mercimonii , belli & pacis expeditionibus Christianorum mancipiorum operā utuntur : his autem commodis sicut hostes Redemptionis operā sensim destituuntur , ita ex adverso iisdem Christiana Respublica exornatur. Hæc de corporis sive temporalibus utilitatibus , quas Redemptio captivorum Orbi Christiano adfert , & fœcundō gremiō parturit , dicta sufficiant.*

*Utilitas utilitas.*

*A peccandi  
occasionebus  
eruntur.*

**IV.** *Quod verò animæ sive spirituales utilitates attinet , cætanto sunt commodis corporum potiores , quantò anima corpori præstat , & eoclam terre antifat . Redimuntur videlicet corpora , & salvantur animæ ; captivi námque Christiani Redemptionis adminiculō ab innumeris eruuntur peccandi occasionibus , & apostolice periculis , ut quotidiana experientia docet . Nôrunt hoc illi , qui narrant , quàm enormibüs flagitiis , & præcipue libidine ac impudicitia scateat uterque sexus illius gentis , quæ a nomine sui pseudo - prophetæ Mahometana dicitur . Certè humana fragilitas proditâ semel innocentia in pejus facile labitur , fides in CHRISTUM infirmatur , spes æternorum propter enormia inter infideles patrata flagitia in desperationem vertitur ; hinc ad deteriora prioribüs ruunt , CHRISTUM Redemptorem DEUM negant , Mahometis fœdis erroribus & abominationibus se tradunt , atque omni timore DEI proculato effreni prorsus licentia in omnia se peccata effundunt . Accidit tunc , quod vulgo dicitur : vinum generosius in acidissimum degenerat acetum ; nam est facilis descensus averni . Exemplorum ejusmodi testes sunt Cæsaris Legati , qui degunt Constantinopoli , testes sunt Sacerdotes ab Apostolica Sede per barbaras illas regiones dispersi , testes sunt & Patres Redemptores captivorum , atque alii ex Christianis innumeri , qui illas mercimoniorum causâ frequentant , aut incolunt terras . Illis autem omnibus per Redemptionem occurritur , dum captivi Christiani ab hujusmodi periculis stepè priùs eruuntur , quàm in eas piceas occasionses incident . Ex quo quisque facile concicere poterit , quanta utilitas ex Redemptionis Instituto in animas captivorum Christianorum redundet .*

*Sed etiam  
de Sacra men-  
sili deficit ut  
misericordia  
monstratur.*

**V.** *Non ibo quidem inficias , multos eorum inter has sordes fidei constanter adhædere , ut illis ineft , & operatur fidei habitus per Baptismi gratiam infusus ; misere tamen animæ pretiosissimo Domini nostri JESU CHRISTI sanguine redemptæ innumeris peccatorum tendiculis undique sunt expositæ , ac preterea communibüs Ecclesiæ subsidiis inter barbaras gentes destituantur ; non enim pascuntur Verbo DEI , quod cibus est animæ : desunt etiam*

etiam sepenumerò, qui administrent Sacra menta, quae sunt ultime naufragii tabulae: vitam obeunt profectò militi; abest omnis consolatio, præter illam ferè unicam, quod sciant, si morte hujus vite mala effugere. Sæpè procul abest Sacerdos, nepliù non accerit, nec cura ei accerendo impeditur; dum interim moribundus in terribili illo vita mortisque confitu derelictus pot in exilio peregrinè moriturus; an canibus, an corvis cedat in escam, nihil penitus ducitur. Proclivè hic erit cuivis estimare, quantè præstante sit Institutum Redemptionis captivorum, quo miseri Christiani a tantis periculis feliciter liberantur, & ad regna CHRISTI fidelium deducuntur, ubi Divinis muniti Sacramentis celo reconciliati beatam possunt obire mortem sine invia sepulchri.

**VI.** Uxor illis est sœpè non legitima, aut violenter alligata, proles sunt Christianorum morum & doctrinæ ignarae, verba omnes, nilque nisi Mahometem neverunt, atque adeò diurna connœctu[m] moliti pronis animis ad Mahometanam fidem propendunt. His accedit, quid iniuste illi proles a suis Dominis ex odio diversæ fidei ad Christianorum opprobrium in pravitate morum edacentur, donec intericorum intolerantia preesse aperit ad Mahometem deficiant, & militare adscribantur, magnam aliquando rebus Christianis perniciem allatur; tragicè namque eventus crebrius jam ostenderunt, eos, qui Christianis plurimum damni dederunt, filios suisse Christianorum, qui parentum postea fide prorita, deterrimi evaserunt apostatis, nefandi athei, & juratissimi hostes Christianorum. Tot mali medetur Redemptio, adfert opem, aut præservat, ne accidant, quæ sœpè solent accidere pejora pessimis.

**VII.** Redemptio demum est ad animæ salutem instituta, quæ imbecilles in fide corroborat, spe lactat, & fideles captivos in charitate consolidat. Magnò videlicet solatio pauperes captivi Christiani perfunduntur, dum affuturos præstolantur Redemptores. Quantum vero eorum sit desiderium, quis satis explicare queat? quantum gaudium, quando a gravissimo infidelium jugo liberantur? Ferre à sane patientia sustinent calamitates suas, in CHRISTI fide constantes perseverant, quatenus Redemptionis participes fieri mereantur; quasi ab inferis refuscitati charam patriam, dilectos amicos, Christianorum Tempa, fidelium coetus revisuri. Horum desideriò in DEI charitate conjuncti, lubenter se in mortem appetitulos fatentur, dummodò optatam nanciscantur redemtionem. Illi porro, qui animi fragilitate, minis, pollicitationibus, aut commodioris vita spe supplantati a CHRISTI fide desierant, dum Patres Redemptores adesse videbant, sœpè compuncti suprema tentant, ut DEO per Ecclesiæ Sacra menta reconciliati, a remorsu conscientie, ab animæ angustiis, a metu gehennæ possint eludari, atque aliquâ soleertiâ, vel industria terribilis crudelis evadere, quamvis id nunquam absque summo vita periculo tentari valeat. Se penumerò felicem nocti successum opera Patrum Redemptorum ad avita Christianorum Sacra sunt

A multis aliis animis per-  
gente animun-  
tum.

Christiano-  
rum illi ma-  
ximi CHRISTI  
hostes.

Spe Redem-  
ptoris in illis  
confutans  
persecutas.

Apollonius  
compuncti re-  
deuerit ad  
CHRISTI  
fidei.

1697.

reversi. Innumera hujusmodi exempla in medium proferre valeat, nisi prolixitatis tedium ejusmodi vetaret catalogos. Tot ac innumera alia corporis & animæ commoda secum adfert Redemptio captivorum, unde non immerito inter præcipua misericordie opera computatur, in quo per compendium omnia alia exercentur, ut alibi comprobavimus.

Necessitas Re-  
demptionis.Ced. lib. 1. tit.  
a. numm. 21.

VIII. Quam verò necessaria in omnibus benè ordinatis Rebus publicis sit Redemptio, inde facile potest cognosci, quod rato, vel nunquam terrâ marique Christiani nominis hostes desint. Sunt Turcae, sunt Tartari, sunt Asiatici & Africani populi, qui prædas agunt, & Christicolas in captivitatem quotidie trahunt, quibus ni succurrat Redemptio, causa eorum est desperata; tot enim subito corporis animæque pericula miseros captivos undique circumdant, ut ea viribus humanis vix superare queant. Gravissimæ huic necessitatì, ut Jura remedium aliquod pararent, sacra templorum vasæ & ornamenta in Redemptionem captivorum venumdari concederunt. Sic Justinianus Augustus Demostheni Præfecto scribit: *Sancimus nemini licere sacratissima atque arcana va-*  
*sa, vel vestes, ceteraque donaria, que ad divinam religionem nece-*  
*saria sunt - - - vel ad venditionem, vel hypothecam, vel pignus tra-*  
*re, sed ab his, qui hæc suscipere ausi fuerint, modis omnibus vindicari,*  
*tam per religiosissimos Episcopos, quam per æconomes, nec non*  
*sacrorum vasorum custodes: nulla eis actione relinquenda, vel super re-*  
*cipiendo pretio, vel fænore exigendo - - - exceptâ causâ captivitatis - - -*  
*nam si necessitas fuerit in Redemptione captivorum, tunc & vendica-*  
*tionem prefatarum rerum divinarum, & hypothecam, & pignorati-*  
*nes fieri concedimus: quoniam non absurdum est animas hominum qui-*  
*buscunque vasis vel vestimentis preferri.* Hæc Augustus Legislator  
Justinianus Imperator. Eandem Redemptionis necessitatem præter  
Jus civile agnoscunt & commendant sacri Canones plurim  
Conciliorum, nempe Lugdunensis III. Aurelianensis & Cabilo-  
nen sis. Item sancti Patres Gregorius Magnus, Ambrosius, Augu-  
stinus, Cyprianus Redemptionis necessitatem frequentius extollunt  
& inculcant. His subjungo Thomasinum de veteri & nova Ecclesiæ  
disciplina, qui de S. Gregorio Magno Pontifice scribit, eum, cum  
Fanensis Episcopus grandem pecuniam ad captivos redimendos  
mutuatus fuisset, illi juxta Leges & SS. Canones potestatem feci-  
se tantum ex sacra templorum suppellectile vendendi, quantum  
opus erat ad contracta nomina dissolvenda. Permittunt Leges &  
Canones sacra vasæ pro Redemptione captivorum conflati, & in  
pecuniam redigi: at S. Gregorius contendebat, non minus esse  
flagitium ea abscondere & retinere gravi aliqua necessitate urgente,  
quam illa vendere sine necessitate, inquit enim: *Nam sicut omnia*  
*grave est frustra ministeria Ecclesiastica venumdare: sic iterum culpa*  
*est imminentie ejusmodi necessitate res maxime desolata Ecclesia captivis*  
*fuis præponere, & in eorundem redemptione cessare.* His S. Gregorii  
verbis, dum ad alia citatiore gressu properamus, anni seculi hu-  
jus septimi & nonagesimi, atque Historiae nostræ Libri tertii finis.

Thomassinus  
et. v. & vna  
Eccl. discipl.  
p. 2. lib. 3 c.  
e. 9. numm. 18.S. Greg. lib. 6.  
cap. 13. § 35.

ANNA.